ROBERTI WELSTED
DE
Adulta Ætate
L I B E R
AD
RICHARDUM WEST
ARMIGERUM.

LONDINI:
Impensis GULIELMI & JOHANNIS INNYS, in Cœmeterio D. *Pauli*. 1725.

INDEX CAPITUM.

Index Capitum.

XV. *De*

Index Capitum.

XXVI. *De*

Index Capitum.

Addenda & Corrigenda.

PAG. 71. Not. lin. 1. corrige ηἴσσων, legendo Νήσσων.
P. 78. Lin. 8. Lege, insultus.
Pag. 82. Delendum, ac tempora.
86. Lin. 5. Lege, ἀργίαν.
96. Lin. 5. Lege, sanguis.
129. Lin. 17. Lege, fame.
162. Add. post *diuturnis*, *medendis*.
164. Add. post *effusionibus*, *medendis*.

AD

RICHARDUM WEST Arm^rum.

A Legalibus Regi Conſilijs,

NEC NON

Britanniæ Senatui

ADSCRIPTUM.

Cap. I.

Adultæ ætatis indoles, eorumque, quæ in eadem proveniunt, momentum.

ALTERAM inchoati hortatibus Tuis, Vir Doctiſſime, operis partem jam publici juris factam, habeas. In quo ſcribendi genere conſilium fuit, quid naturâ præcipiente perpetuò faciendum. Proinde, hiſce tanquam naturæ legibus obſtringi placuit, quales à Veteribus traditæ fuerint; quæ nec alio planè modo apud noſtrates habere hodie videntur. Ad quorum ſanè normam exacta, felix evadit medicina:

dicina : Quæ artis jactis quidem olim fundamentis extructa, utilibus recentiorum repertis ampliatur, ornatúrque. Idipsum, verò, fit, eorum exemplaria fide digna attentè intuendo, neque ab illorum monitis recedendo, nisi ut meliùs ægris consulatur. Idque simili ferè ratione, quâ in munere legum exponendarum Ipse versaris, quum, ad eruendam interpretationem sinceram, historiam causásque earundem, quatenus memoriæ proditæ sunt, singulatim perquiras; ac, demum, cum præsenti rerum statu conferendo, quidnam majorum sapienter institutis superaddi queat, sicuti, quæ incommoda vitare licet, pervideas. Ad quam quidem formam jura condi malis, quàm, ut perpetuo novandi studio ea temerè amplectantur legumlatores, de quibus, utrùm moribus populi convenient, an eosdem turbabunt, motúsque inordinatos ciebunt, nondum experientiâ satis cognitum sit. Tale certè quiddam mihi in votis erat, dum monita atque consilia de ætate, quam ornas, perpenderem; simul ut in eâdem omnia feliciter fausteque Tibi Tuísque cederent. Qualibus, interim, donec rectiora constiterint, uti libeat.

QUANDO

QUANDO homines eò ætatis pervenerint, ut facultates, quæ alendo corpori, eíque vires miniſtrando, maturæ evadant; natura futuro protinus ſeculo conſulit. Hinc adoleſcentes, qui antè appetitui indulſerant; nec quicquam, niſi quod volupe eſſet, ac ſibi ſolis placeret, ſtudiosè quæſierant, ad ſpem extra ſe poſitam exardent; ac ſeipſos vix aliâ ratione colere incipiunt, quàm ut amatis grati videantur. Nimirum, ornatur hæc ætas dotibus pulcherrimis, habétque omnes in ſe veneres: Adeò ut, quò vegetior ſit, atque plus vigoris, ſanæque corporis habitudinis ſortita fuerit; eò vividiùs ſentiat vim formæ, ac ſolitariam dehinc vitam fugiat.

Quemadmodum, autem, natura in hâc florente ætate id maximè molitur, ut progeniem novam intromittat, ſequentis ſeculi populum, totum illud negotium per amoris miniſterium tranſigit. Exinde, amor adultis imperat; qui imprimis ingenium eorum excitat, acuítque; dein, hoc ipſo utitur ad artes mille inveniendas, ac tractandas, quibus opus ſuum peragat:

Quæ quidem argumento sunt poëtarum, & philosophorum æquè ac historiographorum libris. Igitur, quamprimum ignis ille cupidinis accenditur, ardet totus homo; indoléſque illius non raro in prorsus contrariam immutatur: Adeò ut interdum rudis & asper adolescens, flagrante amore, in politum mollémque, blandum ac delicatulum convertatur; interdum mitis ac benignus in austerum & sævum transformetur; interdum etiam hebes & stupore notatus, in acrem atque animosum inflammetur. Unde quidem patet, donec homines hoc igne probati fuerint, quales futuri sunt imposterum, id minimè ab ijs, penes quos judicium est, decerni posse.

Profectò, qualis futurus sit per ævum vigor, & qualis sanitatis gradus, non modò corporis, sed & mentis quoque, continget, ex amore ferè totus pendet. Ac, prout quisque plus minúsve læsus fuerit, ita reliquum vitæ iter, vel feliciùs, vel minùs faustè, transit. Tanti res momenti est, ut ab hoc, semper quidem periculoso, utilissimo verò, si pulchrè tractetur, affectu (quantum fieri potest) caveatur. Non,

quòd

quòd homines carere ejuſdem illecebris, atque ipſis flammis, oporteat; ſed, ut rite ſecundum naturam adhibeant, ad ea ſibi concilianda, quæcunque habiles atque idoneos reddant ad liberos ſuſcipiendos eóſque dotibus inſigniendos, quæ patriam poſt ſe, vitámque ipſam, ſine artibus atque culturâ ſterilem, augeant, ornéntque.

Nimirum, quæ fuit quondam Spartanis ſapientia, eandem (quatenus licet) in morem adoptare quidnam vetat? Scilicet, ut dignum quemque per integram corporis formam, atque animi vim, eam ducere fœminam ſolenne ſit, quæ itidem pulchritudine, atque ad conjugium ingenio valenti dotata, virum ſibi parem amoris vulnere devinctum habeat. Inſignes exinde parentum dotes ad ſeros nepotes traducere negotium eſto perpetuum, curæque iiſdem aſſiduæ, ne tenelli, quibus jam puriſſimam vitæ flammam accenderunt, educatione accommodâ, annis ſequentibus deſtituantur.

Idcirco verò, hîc loci talium meminiſſe oportuit; quoniam ab hâc ætate præci-

puè pendet, ut liberis consulatur; qui majorum, acceptâ ab ijsdem integritate animi corporísque, dignitatem, tanquam animatæ imagines, apud coætaneos suos repræsentent.

Dignum sanè illustri viro consilium est, qui sentit sibi pectus gloriâ non inani excandescere, velle, virtutes suas in sobolem traducere, atque iterum victuras, posteríisque laudi ac decori futuras.

Quantum, verò, ab illo distant, qui animas suorum in corporibus tanquam incarcerari patiuntur? Unde nonnunquam quidem videmus, non sine causâ plures querentes, sese minùs ad pulchra natos; quíque, invitâ minervâ, laude digna suscipiunt, at, quæ, vi deficiente, votis minimè respondent.

Profectò, quòd maledicta ejusmodi frequentiùs non occurrant, hoc cæco nostri ipsorum amori debetur; qui ideo inseri à naturâ videri potest, ne infortunia nostra alieno modulo metiamur; sed contenti dotibus, quibus ipsa instruxit, vivamus:

mus : Quasi, scilicet, quæcunque ultrà sunt, despectui eos habere vellet, quos ad ipsa non comparavit.

Qualem quidem voluntatem nobis insitam mirari fas sit ; non tamen ideo conamina eorum impedire, quibus ulteriora atque meliora intueri contigit. Cuinam, ergo, affectui imputare licet, quòd plures florem ætatis depasci sinant, ac, curas circa liberos veluti metuentes, consortio posterorum fortes & bonos vitio suo denegant? Horum quippe defectu, non modò utilitatem publicam & vitæ privatæ commoda, ne dicam gaudia, extingui ex humani generis historiâ discimus ; verùm etiam, calamitates in vitâ satis jam deplorandas adaugeri, maláque numero ferè carentia ijsdem accumulari.

Non ineptè, igitur, amoris stimuli meliore naturâ præditos, hoc ævi sui vigore animos urgente, strenuè irritant ; opúsque sobolis tollendæ sedulò inculcant. Et, quò valentiùs incitetur parens ad curandam progeniem, hic affectus propiùs ad sui ipsius amorem accedit ; adeóque ab

eodem pendet, regitúrque, ut hujus atque illius vires ſæpiſſime conjunctim exerantur.

Itaque contemplari non ingratum eſt, quàm ſedulò amoris opus peragit natura; &, quàm magnificè, dum id molitur, ſe effert. Et quidem nullam aſſiduitatem amori deeſſe tam vulgo notum eſt, ut vocabulum ipſum *diligentia* (quæ dilectioni affinis eſt) utrumque tum curam animi, tum operam corporis in ſe complectatur. Quaſi, ſcilicet, apud Romanos hæc eſſet ſtatera, ex quâ omnis alia ſedulitas examinanda, normâque, ad quam rationes gradúſve ejuſdem forent exigendi. Deinde, verò, ad magnificum affectûs apparatum quodnam addi poteſt? Color ſuavis, oculorum ſcintillantium radij, muſculorum elegans ornatus, cæteráque, quæ aſpectûs pulchritudinem conſummant, decorantur vocis ſubinde blanditijs, morúmque molli comitate, reliquíſque venuſtatem & gratiam conciliantibus. Quo quidem modo ſæpe apertè agit, ac teſtes non abnuit; at quibuſvis illecebras oſtendit, catenáſque,

quibus

quibus ad ſummam devincit pompam ; &, dein, de victis ſolenniter triumphatur.

Interdum etiam tectè agit, celátque ipſos amantes ; quos quidem clàm aggreditur, nec minùs urit tectus iſte ignis. Sæpe inſidias ſtruit ; ſæpe affectus repugnantes vultu ſimulat : Irâ excandeſcit ; jurgijs militat ; imò, ſpeciem odii ac contemtûs induit ; ac querimonijs aures undique notorum implet ; nititúrque, ut eoſdem in partes ſuas provocet. Veruntamen, cum zelotypiâ conjungitur, armatúrque adverſus omnes, quos ſibi charam deperire nôrit. Tam multiplici, denique, ſpecie velatur ; tot intricata atque ſubtilia eidem ſunt doli genera, pérque tot labyrinthos iter facit, ut cuſtodes fallat, tutóque in portum fluctibus innumeris agitatus tandem ſe recipiat ; ut nil ultrà, ingenij acumen verbis explicare geſtiat, quàm amoris celati atque impediti labores.

Hæc, autem, omnia accuratè explorata, & probè cognita habere medicum oportet, quiſquis morbos amore oriundos feliciter

liciter curare velit ; eóque accenſo, tanquam remedio, uti ; quò vitia quævis, corpus priùs obſidentia, prorſus amoliatur. Etenim, eo ſanitatis modo contentos eſſe homines impoſterum neceſſe eſt, quo, poſtquam ad maturitatem aſſurrexerint, fruuntur : Ideóque, huc omne tendit conſilium, ut quàm integerrimi ex hujuſce flammæ probatione excedant.

Interim, quoniam amor nimiùm violentus ſæpenumero videtur, frænum injicere aliquando utile erit, ne febris incendatur ; aliquando revocare (quantum licet) æſtuantem ejuſdem impetum, negotium faceſſendo, atque animum curis varij generis mordacibus occupando ; modò aliæ oblatæ illecebræ non ſatis potenter abſtrahant. Quiſquis, enim, rectâ eidem obſtiterit viâ, raró hujuſce affectûs vitijs medetur ; nec, niſi in adhuc graviora, ægros abripit. Tantæ molis eſt, regere nobile hoc deſiderium, ex quo moderando omnia felicia ſuccedunt, atque ex cujus abuſu plurima eventûs infauſti conſequuntur.

Hinc,

Hinc, enim, ſi amantibus ſeparari tandem, ſeorſum à conjugio, contigerit, nec voti compotes fieri, ambo frequenter de vitâ periclitantur, aut ſaltem tam graviter læduntur, ut per ævi reſiduum injuriam perſentiſcere ſoleant: Illinc, verò, ſiquid conjunctis præter ſpem accidit, tam altè vulnerantur, ut exinde vita impoſterum turbetur.

Præcipuum, igitur, hujus ætatis conſilium ſtatuendum videtur, ut inglorium ducant ſani minimè amare; aſt, ut non præcipites in hoſce amplexus ruant, quorum per totum poſtea vitæ curriculum pœniteat. Ex hoc, certè, tanquam primario fonte deducuntur non modò commoda & incommoda liberorum valetudo; ſed & virtutes eximiæ, ſimul ac vitia, quæ ex magnis luxuriantibúſque naturis germinant. Ex eodem, ferè, gaudia parentibus ſumma, ac triſtiſſima quæque proveniunt: Non ſecùs atque ex eâdem agri fœcundiâ, immenſa herbarum ſive utilium ſive noxiarum ſeges agricolam beatum aut infelicem reddit.

CAP.

C A P. II.

De Conjugio.

PROXIMUM eſt, ut de ſocietate inter virum fœminámque, quò ducit amor, agatur; in quâ officiorum vitæ civilis fundamenta jaciuntur; atque unde charitates derivantur, quæ inter parentes amoríſque mutui pignora, pariter ac cognatos, intercedunt: Quo tandem pacto evenit, ut gentes, affinitate tanquam vinculo connexæ, amicitiam inter ſe colant ſervéntque; aut, ſiquando fœdera rumpantur, faciliùs inimicitias ponant, ac denuo in gratiam redeant.

Quoniam, autem, humani generis intereſt, ut conjugium feliciter cedat, ea maximè quærere operæ pretium eſt, quæ rationem indicent, quâ conjuges voti fiant compotes,

compotes, liberíſque ad imaginem ſuam conformatis fruantur.

Proinde, videndum, quales eſſe conjuges; quo ætatis tempore; & quâ anni tempeſtate nuptias contrahere, par ſit: Dein, qualis victus conveniat; quali ratione exercitandi conjuges; qui, denique, affectus moderandi, quíque excitandi, quò certiùs ſanitatem ſibi tueantur, ac ſoboli tradant.

Conjuges, ſanè, tales eſſe præſtat, quales ad altiſſimum ſanitatis gradum jamjam evecti ſunt, aut eidem ſaltem, quem attingere liceat, proximum. Quapropter, ſui ipſorum ergô perinde ac liberorum, cauſæ infirmitatis priùs ſubmovendæ, quàm ſeſe ad conjugij munera accingant.

Valentiſſima, præſertim, quæque huc accedat natura, armis cupidinis concinnè inſtructa; non modò cauta, nequid vitij in ſobolem tranſeat; verùm etiam haud immemor, imaginem ſuam eò ſuaviùs ac vividiùs fore delineatam, quò firmiores ſint,

ſint parentes, qui integris facultatibus vigent.

Interim, frequenter accidit, ut ipſum pro remedio conjugium ſtatuatur; ita ut morbus hujuſce generis adſit, quod non infauſtè officiis conjugalibus ſolvi queat: Enimvero ſunt, quos amor voti minimè compos læſerit; & cujus flammæ, infeliciter ſuppreſſæ, reſuſcitari poſſunt. Ubi quidem indoles amantium læſorum præcipuè ſpectanda, quæ non ſit triſtis & ſevera, ſed quæ, in alacritatem prona, abducenda eſt ab ejuſmodi omnibus, qualia mentem violentiùs feriunt ac commovent.

Eſt etiam, ubi, eò quòd amoris flammæ defuerint, natura elangueat; atque ubi per conjugium ignes ſuſcitare oportet in pectore, quod hucuſque nullos concipere valuit.

Quòd ſi hæc accidant, nuptiæ potiùs accelerandæ, quàm differendæ. Non, enim, in corporis leges peccatur, dum iſthæc, quæ amori impedimento ſunt, quàm citiſſimè

tissimè excernuntur per naturæ vias; verùm omni arte faces subdendæ, ut, illinc emoriens amor reviviscat, hinc verò, novus ardor eliciatur: Quò auspicatiùs, valetudine secundâ redeunte, aut renovatâ, sanum dein natis habitum, purámque vitæ lampada tradere tandem possint.

At, si infirmitas ab hujusmodi causis nullatenus pendet, eandem tollere ante conjugium expedit, omniáque vires recolligentia ministrare, ut redintegretur robur, priusquam amori conjugali se committant. Secùs, in deplorandam sæpe tabem rectà itur, aut igne febrili amantes absumuntur. Est etiam, ubi sideratio fortis tales corripit conjuges; qúæque vix aliud videtur, quàm labascentis naturæ, subactæque morbi viribus, indicium.

Veruntamen, non hîc de gracilibus; quanquam inter infirmos meritò numerentur, laborandum, modò nulla subsit tabis suspicio: Quinimo illis prodesse solet conjugium; adeò ut posthac frequenter optimè habeant; ac nonnunquam exinde obesi evadant.

Quod

celebrato, conſtantes ac moderatos fore viros ſperant; qui urbium frequentiæ, negotiiſque, quibus ibidem occupantur, congruo ingenio dotentur. Veríque ſimile eſſe prædicant, illuſtres vetuſtis temporibus viros fœmináſque tali indole fuiſſe præditos, qualis quidem agreſti rudíque hominum generi adaptata eſſet, non verò, qualis nunc dierum conſpicitur, excultiſſimo. Hinc, itidem, manſuetiores poſteros artes feliciter evexiſſe eòuſque, ut ingenti popularium ſuorum multitudini alendæ, durante pacis tranquillitate, pares hodie fiant; quorum majores, gloriâ militari innutriti, ac hoſtibus terribiles, eorundem bello ſuperatorum ſpolijs onuſti, patriam ditare conſueviſſent.

Quocirca, mihi tanta domi intuenti gratulari liceat Britannis noſtris de patriâ, inſulâ hodie incolis (quidnî & populis?) refertiſſimâ; gratulari ſpeciatim de Britanniæ capite in immenſum adaucto; quod ex innumeris villis oppiduliſque urbi adjacentibus, novis inſuper conſtructis ædificiis, in unam tanquam civitatem coaluit: Quod, igitur, eò magis appoſitè titulo

tulo * *grandiurbium* ornari poteſt, quo Lyricorum ille princeps Syracuſas, & Athenas quondam dum æquis legibus florerent, decoravit; quò latiùs ejuſdem termini in rura circumjacentia extendantur; quóque magis cæteras Europæ urbes amplitudine jamjam ſuperârit, ac Romæ antiquæ, orbis dominæ, magnitudinem æmuletur.

Atqui, † nec fas eſt denegare Martiæ pubi laudes, quæ ſanguine acquiſierit hanc

---

* Pindarus Πυθ. Εἰδ. β'. *Μεγαλοπόλιες ὦ Συράκοσαι*, quæ ex quatuor vel quinque urbibus in unam conflatæ erant. Eodem jure Πυθ. Εἰδ. ζ'. Athenis idem tribuit; utpote ex pluribus vicis, ſingulis ad inſtar urbis, in unam civitatem à Theſeo collectis.

† Poëta Πυθ. β'. pergit Syracuſas, ſibi propter Hieronem regem laudandas, tam præclarè dictis ornare, ut Plutarchus in Marcello, illius ducis ætate Romam his ipſis appellari potuiſſe cenſeat; ſcilicet, *βαθυπολέμȣ τέμενος Ἄρεος*. Quæ, itidem, ad Romam noſtratem pari jure pertinent; uti ad patriam ipſam, ſimulac alumnos ejus, qui hoſtes ejuſdem debellârunt, inſignes, quæ ſequuntur, appellationes, *ἀνδρῶν ἵππωντε σιδαροχαρμᾶν δαιμόνιαι τροφοί*. Cujus honoris exhibendi occaſio tradita eſt; nempe, quòd nuper Pœnis unà cum alijs devictis, ipſa Carthago jam tum Hieroni obediret.

ipſam

ipſam patriæ tranquillitatem, orbémque ſuis pacatum virtutibus reliquerit. Quòd ſi, autem, progenies ejuſmodi defecerit, cujus pectus amorè patriæ excandeſcit, & quæ vitæ ſuæ pariter prodiga futura eſt; næ illi conſtantes ac moderati cives fruſtrà nutu ſuo dictiſve placidis populum hunc magnum regere annitentur; nedum, quæ in ditionem redacta ſunt, aut etiam libertatem chariſſimam, tueri valebunt.

Interim, hoc etiam accedit, ut artes rarò excolantur, niſi ubi æmulatio atque animorum contentio viget: Eædem ferè militarem ſequuntur gloriam; floréntque præcipuè, ubi præſidio minimè carent.

Præterea, neque id conſtat, robuſtum atque animoſum illud hominum genus, quorum laudes prodidit hiſtoria, parentibus creatum eſſe, antequam ipſi maturitatem juſtam conſecuti fuiſſent; non magis quàm, quòd infirmi eſſent, aut tales, quibus amor jam deferbuerat.

Profectò, majorum prudentia fuit conſulere teneris, ne victu nimis calefaciente

alerentur, ac ne celerrimè in viros præcoces quasi per saltum proveherentur: Quibus quidem curæ erat, ut liberi tardiùs crescerent, ac metus, ne solicitatæ potiùs emicarent vires, quàm lento naturæ ordine sensim prolicerentur. Quid enim miri videri potuit, si eadem educandi methodus, quæ pueros repentè in viros, pari itidem jure viros non ita multò pòst in pueros, transformaret?

Denique, nihilo plus, à vi aut liberorum sanitate, nihilo sanè plus Britannis, ab animis suorum ingentibus, quàm ab acumine eorundem insigni, aut fonte ingenij perenni atque exundante, metuendum; ast metuendum ab imbecillitate & valetudine incommodâ, à stupore atque indole bonorum pauperrimâ, quæ exacui nequeat. Illis certè vitia (ut ita dicam) generosiora adnasci consueverunt, quæ ideo culturâ quidem egent, ut in melius transferantur: Hisce verò, quibus animi corporísque bona deficiunt, consilia cultúsque incassum adhibentur. In prioribus, omnia tempore mollescunt, ardore juventutis crescentem indies vigorem augente; qui dein in mitem firmitatem maturescit. A ge-

A generoſioribus, igitur, hiſce naturis exulent vina meraciora; quæ, quantum illis opus ſit ad facultates, quibus carent, ſuſcitandas, tantum his, qui ijſdem minimè deſtituuntur, denegandum: Utpote quæ æſtum quidem intendunt, virile verò robur enecant; debilitati languidæ vim evanidam addunt, at naturæ jam firmæ vigorem depaſcere conſuêrunt.

Non quòd ætati conſiſtenti denegare nuptias æquum ſit, ſive etiam viris quibuſvis bonis ac fortibus; quorum natos immiſceri par eſt juniorum liberis; ne deſint, qui coætaneos, priori vitæ tempore acriores & magis effrænes, temperent, atque aſperiora lenientes ingenia ad bonam perducant frugem: Et, ne magno in populo parentum inſignium exemplaria deſiderentur, utiléſve eorundem dotes obliterentur; iíque imagine aut nomine careant, quicunque bene de patriâ meruerunt. Quin optandum, ut inſula hæc fortunata celeberrimum quoddam humani generis vivarium referat; ubi ſinguli homines, dotibus corporis animíque præſtantiſſimis ornati, conſpician-

ſpiciantur ; inter quos, quicunque mentis altæ capaciores ſunt, clara virtutis ingenitæ ſpecimina in uſum poſterorum edant, eóſque ad æmulandum fulgentibus ſuis operibus excitent : Quali tandem non indigno Britannis ritu, quæcunque conducunt ad utilitatem publicam, necnon privata uniuſcujuſque commoda, qui ſpectatus apud æquos judices laudatúſque fuit, ijſdem optimè nec inani gloriâ conſulatur.

Porrò, ea anni tempeſtas nuptijs auſpicatiùs contrahendis maximè idonea videtur, quam natura ſibi obſequentibus præſtituit : Hæc, verò, non longè abeſt à primo vere ; antequam æſtatis fervor vires depaſcere cœperit ; & poſtquam hyemis frigora enecantia, ſole jam altiùs aſcendente, radiiſque aliquanto diutius terram luſtrante, remiſerint.

Congruo, enim, alimento ſunt gravidis primis menſibus tenella, ex ſtirpium atque animalium fœtibus, edulia. Quin & vina generosíque alij liquores, per hyemem ſervata, fæculenta quæque atque acerrima deponunt, ac dehinc mitiora fiunt : Unde,

de, crescente indies fœtu, cibis valentioribus, qui sole æstivo maturuerint, commodè vescentur quæ quatuor pluresve menses utero gestârunt.

Deinde, quum ad partum deventum fuerit, brumale tempus non minùs congruit, quàm alia quævis tempestas, puerperæ aut etiam infanti: Priori, quoniam in hyemem condita non tam validè alunt; neque tempus illud febribus opportunum est, affectibúsve alijs, qui puerperium infestant: Posteriori verò, quoniam hæc anni tempestas in alcedonia incidit, quando temperatum & tranquillum notetur cœlum; quale recens natis minùs infensum esse consuevit.

Victus, autem, conjugum non alius esse debet, quàm qui sanis ac robustis convenit, ex cibis potionibúsque constans, in quibus plurimum alimenti est. In ijs, verò, seligendis consilium est, ut res boni succi assumantur.

Exercitationum, dein, genera conjugibus utiliora habentur, quæ robur ac sanum corpori habitum præstant; non, verò, violenter commovent. Inter quas itinera numerare

 licet,

licet, quæ intra paucas horas absolvuntur, cum nullâ rapiditate conjuncta; sed quæ potiùs ad jucunditatem propter regionum, per quas transeunt, amœnitatem, quàm ad laboriosam festinationem, referuntur. Unde, ut recreentur, non infringantur, animi, præcipuè nitendum; atque id cavendum, ne de viâ fatigati recedant.

Affectus, autem, animi, qui regendi sunt, inter violentiores recensentur, qualis est iracundia; in quam proclivitatem qualemcunque reprimere, scilicet aliò mentem abducendo, sapientis est. Fugienda etiam prorsus tristitia, superciliique severitas. Ex adverso, lætitiam quocunque modo excitare, atque, ut hilares evadant novæ nuptæ, curare, bonum esse notissimum est.

Denique, quæcunque liberis bona maláve tradantur, ea sanè priùs in ipsis conjugibus sita sint, necesse est. Neque illa solùm spectanda sunt, quæ ipsis initijs adsunt; verùm & hæc, quæ postea accidunt.

Afficiunt;

Afficiunt, nimirum, ſubinde fœtus, conjugis perturbationes: Afficiunt ſenſus fortiter ferientia; magis etiam, terrefacientia, eáque quæ apud animum imaginem doloris hærentem relinquunt; omniúmque eorundem fortiſſimè, qualia amanti ab amato imprimuntur.

Cap. III.

De naturis nerveis affectibus obnoxijs.

COMMUNE animantium omnium videtur, nervorum ministerio ad sentiendum uti; quin & brutorum, dum illud omne, quo, ad sese genúsque suum conservandum, egent, præsens est, nihil ultrà appetere. Homines, autem, in posterum etiam prospiciunt; cupiúntque anxij prævidere singulorum eventum. Hæc, verò, præcognoscendi facultas in aliis magis, in alijs minùs, viget: Quoniam momenta eorum, quæ fiunt, non cuivis homini perpendere contingit; etiamsi facta ipsa palàm sint, atque ipsi penitus nota.

Itaque, ea præsentiendi vis futura commoda atque incommoda, tanquam præsentia,

tia, sistit : Unde spes vel metus ejus, quod futurum est, animos hâc facultate præditorum æquè urgere solet, ac si expectanda vel metuenda adessent. Quî fit, ut sentiendi organa duplicem vim patiantur; imò sæpe evenit, ut eò fortiùs hæc absentia mentem feriant, quò minùs clarè videat, quantum vel utilitatis percipi queat, vel incommodi exinde pati liceat. Scilicet, futurum commodum atque incommodum pectoris oculis objectum, latiùs extendi solet, atque majus aut atrocius quoddam apparere, quàm id, quod coràm intuemur. Ideóque hi duo affectus, qui circa futura versantur, violentiùs mentem commovent ac perturbant; ipsiúsque organis graviùs nocituri sunt.

Hinc, verò, horum hominum pectora citiùs ac graviùs vulnerantur, quàm eorum, qui hæc vel omnino non sentiunt, aut tam languidè, ut nec curam quamvis excitent, & nulla post se relinquant tanquam tela ibi hærentia.

Deinde, autem, innumeri succedunt morbi nervorum, qui diutius obsident, quò altiùs

tiùs incutiatur vulnus, & quò gravius onus ſuſtineatur. Quinimo, gravitas ejuſdem non in tantum æſtimanda eſt ex rei momento, quantum ex viribus ipſius facultatis, quam premit : Ac, prout hæc magis vel minùs habilis eſt, illa graviùs vel leviùs lædere poterit.

Verum quidem eſt, hanc facultatem in teneris ſemet priùs patefacere ; non tamen tunc temporis adeò turbas excitat, nec eòuſque ſævit, quantum in ætate adultâ : Quoniam puerorum animis ſimplicia ferè objiciuntur, nec quæ impoſterum curæ ſunt ; ideóque omnes illiuſmodi noxæ virilibus annis vix infixæ manent, aut faciliùs delentur, novis variiſque, quæ fortiſſimè animum irritant, cedentes.

Quapropter, ad hanc ætatem præcipuè pertinent hi nervorum affectus ; ubi apertiùs ac latiùs ſævientes, letho plures dare conſueverint ; & ubi ſagacem ſemper medici ſolertiam, nonnunquam etiam ipſius dignitatem atque auctoritatem, ad levandum requirant.

Illud,

Illud, itidem, haud alienum eſt hîc lòci meminiſſe; quòd, quum nervorum affectus in febribus ſeſe frequenter pandant, hæc ad ea, quæ de febrium frequenter ejuſmodi ſymptomatibus dicenda ſunt, pariter referantur: Quippe quales inter hæc, quæ febribus ſuperveniant, recenſentur, iiſque quidem, quæ tanquam mali moris notantur.

Mira, autem, in naturis hominum diverſitas exinde patet, quòd nonnullos vix eadem tangant, quæ alios iterum enecant: Et, quòd remedia illis adhibita toto cœlo differant ab his, quæ naturis, nerveis affectibus obnoxijs, opitulantur. Et, quidem, tantò accuratiùs hæ ab illis, quæ affectibus iſtiuſmodi rariùs opportunæ fiant, diſtinguendæ ſunt; quantò certiùs conſtat, auxilia, illis ad ſanitatem revocandam utiliſſima, haſce graviſſimè lædere, atque in morbos ſubinde diuturnos affectiones vertere, quæ ſecùs leviſſimè, quaſi vix tactos præterituræ ſunt.

Quod attinet, igitur, ad internoſcendum; quî hæ ab illis diſcrepant, non modò iſthæc ſymptomata, quæ nervoſum ſyſtema affici indicent, dum ægrotant, ſervanda ſunt; verùm etiam ulteriùs oportebit inquirere in valetudinis prægreſſæ modum; &, quî res difficiles, priuſquam malè haberent, aut etiam adverſas, ferre ſolitæ fuerint: Utrùm haſce, licèt leviores, ægrè tolerarent; nimióque cujuſvis mali metuendi ſenſu affectæ fuerint: An, itidem, æruginem humores perturbati contraherent; aut in acorem ſolummodo deſinerent. Atque ex adverſo, utrùm ſpe meliorum erectæ incommoda, quæ tunc temporis urgerent, æquo ferè animo tulerint; neque in acerbiſſima, & veluti toleratu difficillima, aggravârint.

Hæc, ſanè, ſingula, horúmque ſimilia, perſcrutari prudentis eſt, qui in hoc affectuum genere cum laude verſari velit; ubi quidem errori abunde loci eſt; atque, à quo ſemet tueri medico, niſi ſagaci artis ſuæ peritiâ, vix licet. Interdum, enim, fomes in viſceribus, imò & ſanguinis rivis deli-

delitescit, quîcum & calculi ipsi sæpenumero miscentur; atque eóusque iter laticibus obstruit, ut nervi exinde affliđentur; nec, donec solutum fuerit id oneris, cui sustentando impares evaserint, symptomata dispareant.

Interdum, & mentem ipsam afficit lentus iste fomes; unde, usque dum hic penitus amoveatur, illa ab eo statu, in quo fuerat, abduci videtur, atque, eodem rejecto, ad se demum redire.

Aliâ, interim, ratione tractandi sunt, quorum natura perpetuùm obnoxia fuit symptomatibus ejusmodi; in quibus, sanè, vix aliud vitii latet, quàm ut flatulenta sæpius pituita iisdem imbecillis molesta sit: Quæ, igitur, remedijs appropriatis leniter submovenda, adjectis iisdem, quæ nervoso generi opem ferunt.

Quin & omnia ea adhibenda, qualia animum abstrahunt ab hisce, quæ menti objecta primùm læserunt. Atque, ut summatim dicam, affectus hi nervei eo ferè modo

modo tractandi, quali isti morbi, quos ab inanitione largâ provenire notum est.

Has, ergo, naturas accuratè distinguendum est, antequam ad medendum accingatur. Siquis, autem, negligat, miras sanè, turbas excitari videbit; quas non ab aliâ aliquâ latente causâ, sed ab ipsâ sentiendi vi, atque modo, quo quæque nervos debilitatos feriunt. Emetica aliquando eâ de re in purgantia deorsum transeunt; ac temperata, spiritúsque reficientia, remedia in contrarium degenerant. Inde, etiam, mentem ipsam fieri imbecillam non inusitatum est, atque in partes adversas diduci: Adeò ut, nec quidquam placere, nec nisi prorsus ingratum esse, possit, quodcunque ægris hujusmodi offeratur.

Itaque, irriti futuri sunt medentis conatus, qui hosce ægrotos ex lege artis suæ tractabit; nisi eorum sententia probè cognita fuerit: Quippe cui vix sperare est, eos ad sanitatem redituros, nisi idipsum, quod graviter afflixit, temporis longinquitate disparuerit.

Proinde,

Proinde, nil miri eſt, ſi illiuſmodi naturæ, hâc ætate, amoris illecebras intimiùs ſentiant; &, ſi in eorum pectore ignes iſti, pabulo idoneo ſuſtentati, pulchriùs, dum proſperè res geruntur, exardeant; verùm, fortiùs eoſdem adurant, modò cum adversâ luctari fortunâ neceſſe habeant: Utpote qui, vividiore, quàm cæteri homines, dotati ingenio, ſeſe, cum duris moribus conflictando impares, experiantur; at graviſſima exinde vulnera, quæ itidem diuturna evadant, pati adſueſcant.

Interea, verò, horum hominum indoles perpoliri ſolet; qui, quoniam ex proprijs affectibus addidicerunt, quantum mali, ex inſuavi rudis vulgi ingenio, quondam ſemet ipſos adortum fuit, in miſericordes molleſcunt; atque in alios, indulgentes evadunt: Utpote qui ſuorum memores, alienos pariter dolores lenire cupiunt, ſolatiúmque ac perfugium miſeris ſæpenumero præbent.

Quapropter, humanum eſt, hoſce quaſi flammis ereptos conſervare, ut exempla ferita-

feritatis expertium immani mortalium generi proponantur.

Porrò, ad hos accedunt, qui vitam urbanam artibus excolunt, quíque, ſtudijs literarum addicti, ſeculum ſcriptis cedro dignis ornant. Quemadmodum Celſus * *magnam partem urbanorum, omnéſque penè cupidos literarum, imbecillis* annumerat.

Quorum quidem poſteriorum gratiâ autor † laudatus refert, medicinam à ſapientibus exercitam eſſe : *Scilicet his hanc maximè requirentibus, qui corporum ſuorum robora inquietâ cogitatione, nocturnâque vigiliâ minuerant.*

* L. I. c. II. † In Præfatione.

Cap. IV.

De ijs, quæ Emunctoriorum officium præstant.

ADULTORUM victus is esse solet, qui ex valentissimâ conflatur materiâ; præterquam quòd à civili vitâ exulent hominum alimenta, qui in sylvis degebant. Quorum igitur genus idoneum est validissimis naturis; illóque ævi sui tempore, quandocunque vitalis flamma eòusque viget, ut hujusmodi pabulo ad sese sustentandum indigeat.

Interim, periculosum est cibis potionibúsque, quæ in tantum nutrire valeant, perpetuùm repleri: Quippe quæ sanguinem ad altissimum evehant gradum; unde vel recrementa in corpore abundent, necesse est; vel in promtu sint loca, ubi reponi queant, usque dum rejicere liceat.

Illud, autem, in calidioribus naturis maximè requiritur, ſicut etiam in frigidioribus: Quarum illæ acrioribus ſuccis; hæ verò, lentioribus & viſcidioribus ſcatere ſolent.

Proinde, poſtquam non ulteriùs proceritate adoleſcentes efferantur, adimplentur ductus adipoſi ditiori ex venâ; habitúmque in obeſum dilatari non inſuetum eſt. Hinc, exercitationes fortiores magíſque aſſiduas ferre poſſunt, atque eaſdem exigunt. Nam, quæ exuperant, mollia atque unctuoſa reponuntur, quibus artus motui redduntur apti; & ex quibus gradatim reſtituatur, quicquid ſupra modum deceſſerit.

Quando, autem, dilatetur corpus eò uſque, ut nil ultrà recondi queat; aut inanitio jam tum per conſuetas vias incipienda eſt, aut in diſcrimen ſanitatis inferetur.

Quævis, interim, natura, ſiquis ad ipſius molimina advertat, peculiari aliquo modo ad ea, quæ exuperant, eliminanda procli-

proclivis eſt. Tales, verò, viæ, per quas, quæ ſupereſſe cuivis contingit, facillimè & commodiſſimè ejiciantur, omnes ad inſtar emunctoriorum habendæ ſunt : Sive tramites iſti per meatus cutaneos educant ; vel per tumores, qui attollantur & erumpant ; vel per glandes renales atque inteſtinorum, aut etiam ſalivales ; ſive per ora quædam, ex quibus ſanguis effluit : Quæ quidem itinera alia hiſce viſceribus, alia illis, idonea ſunt ; prout materia per eadem rejicienda, craſſior lentiórque aut tenuior, atque ad motum expeditior evaſerit.

Propterea, hæc ſingula internoſcere medici eſt, illorúmque momentum ; ut ſimul, quæ perniciosa ſunt, exturbari ſinat, atque per proprium quidem iter, eóque modo, quo corpus commodiſſimè ſupervacanea excerni ferat. Eſt, enim, ubi modo ſolo peccetur, quum natura violentiores edat nixus ; quibus ſanè coërcendis fræno opus eſt : Eſt etiam ubi, acrioribus ſuccis laboranti, ſentiendi organa extimulentur, atque ad opus utile præſtandum tam fortiter adigantur, ut periculum exinde

immineat, turbæque immanes cieantur; dum tranquilliùs omnia habere in rem corporis communem ſit. Aliàs, itidem, ex viâ ipsâ patentiore, quàm expedit, periclitantur nonnulli; quale accidit, quum ſanguis per nares pleniore rivo perfluat; quanquam, eundem illinc extillare, bonæ in aliquibus notæ, perpetuò fuerit.

Quapropter, operæ pretium eſt itinera advertere, an uſitata ſint, & per quæ ſupervacua vel vitioſa tranſire ſolita fuerint, ſine ullo ſuperveniente incommodo, at potiùs cum fructu & levamine: Unde etiam diſcere eſt, quale cuique à naturâ robur, & cujus generis, quod vitij deliteſcat, habendum eſt; ac quali ferè modo auxilia ſubminiſtranda, ſiquando morbi accidant: Subinde, enim, ægrotatio, hiſce itineribus obſtructis, accerſitur; cauſæque illius omnino tolluntur, eaſdem vias aperiendo, & tanquam portas cuſtodiendo, per quas hoſtes domiti tandem excludantur.

Ex ijs, autem, itineribus quædam ſunt, per quæ graviſſimè lædentia pelli queant, & quæ vix unquam ſpem fallant, quando natu-

natura, de rebus ſuis ſatagens, per eadem ſecedere cogat ſibi inimiciſſima. Inter hæc recenſentur glandes ſalivales, quandocunque acerbiſſima in febribus mali moris ejicere conetur natura.

Quin &, frigore (ut vulgo dicitur) ſuſcepto, per haſce fluit lympha aggeſta; & craſſior viſcoſiórque materia egeri poteſt. Sic, quando tuſſis invadat, ſæviátque, non ſine ulceroſo dolore partium ad thoracem ſitarum, periculum mortis inſtaret, niſi aggeſta ibi materies, profundo hærens pectori, dimoveri & quaſi exantlari poſſet. Cui quidem uſui inſerviunt compreſſi ac dilatati lymphæ ductus; quorum tenuis latex, viſcoſæ huic maſſæ pituitoſæ copiâ ſatis largâ admiſtus, ſolvendo paria naturæ conamina reddere conſuevit; aut ſaltem ipſam adeò fluidam, ut canaliculi ſalivam ducentes non impervij eidem fiant, atque ita, ut expectorationem promoventibus commodus detur locus.

Proximè ad hæc accedunt quædam tumorum ac puſtularum genera; quæ, ſimul atque apparent, ſalutem ferre notum eſt;

 quam-

quamvis deploratæ ægrorum res priùs à prudentibus, nec immeritò, haberentur. Sæpenumero hæ tanquam pustulæ exiguæ labris extremis, ut & imis narium partibus, in conspectum veniunt.

Profectò, ex ejusmodi tumoribus aut etiam pustulis malè curatis, vehementissima oriuntur morborum symptomata; quæ quidem pustulæ non æstimandæ sunt, nisi veluti emunctoria, per quæ corpori superflua aut etiam infensa subtrahuntur: At, quibus si impediatur opera, infestant morbi graves; scilicet, fomite vitioso intus nonnunquam in corpore retento, ac sæpius prorumpere, quà data fuerit porta, enitente; secùs, verò, acrimoniam ac vim adurentem contrahente, visceráque demum ipsa corrodente.

Ex ijs, autem, clarè patebit, quales sint, qui peccant, humores: Imò & ex colore ipso pustularum sententia frequenter ferri potest, an putrescant humores; an itidem in sanum habitum facilè rediturus sit æger, vel periclitetur. Color lividus, purpureus & ater, vulgò pro pessimis notantur; at,

ſi in flavum, imò & fulvum aſſurgant, non ita res ægrorum terrere ſolent. Interim, hîc loci advertere eſt, ubi ſubalbæ ſunt puſtulæ, medicum hærere ; uſque dum, quæ res ſit, aperiatur : Quippe quæ interdum peſſimæ notæ ſunt, tandémque nigricant ; interdum etiam, præcipuè quando exiguis eſſe contingat, auſpicatò febres difficiles lentáſque ſolvunt.

Neque, igitur, magnitudo & numerus negligenda ; ubi, licèt evadant ægroti, attamen non ſine labore : Quum, verò, non niſi exiguæ ſint paucæque, coloris non longè à communi iſto genere, quod vix inter affectiones recenſere ſolent, recedentis ; quúmque levamen, ijs ſtatim natis, ſentiatur ; fauſti ſunt ominis, quæ ſanitatem certò prænunciant.

Sanguinis ſuperflui fieri ſolet vel extillatio, vel etiam pleniore rivo effluxus, per nares vel etiam per os, in quibuſdam naturis ſolenniùs, ac cum levamine ; quæ loca igitur emunctorij uſui inſerviunt. His ſanè opem fert natura ſua dives ; neque, ideo, niſi curam eam poſtulant, quæ adhibetur

ad eundem fluxum intra naturæ fines continendum, at non prorſus ſiſtendum, niſi cauſa aliqua ſuſpicioni offeratur, ſanguinem nimiâ copiâ profluere.

Reliquum eſt, ut de ſanguine per hæmorrhoïdas fluere ſolito ſermonem inſtituamus; qui, ſi in hiſce, quibus ſolennis fuerit, ſupprimatur, in causâ eſſe poteſt, cur graviſſimi invadant morbi.

Habent enim (obſervante * Celſo) *purgationem hanc, non morbum. Ideòque curati quidam, cùm ſanguis exitum non haberet, inclinatâ in præcordia ac viſcera materiâ, ſubitis & graviſſimis morbis correpti ſunt.*

Et quidem conſtat, periculo non vacare, ubicunque ſanguinis illa profuſio præter morem non reſponderit. Indicat, enim, lentorem ſæpe fæculentum in ſanguine ſitum: Quin & mali habitus exinde oriuntur; quibus ſupervenit interdum febris; quæ ſive intermittat, ſive remittat ſolùm, nun-

* L. VI. c. 18.

quam

quam tolli queat, niſi reſpectu habito ad hoc emunctorij genus.

Cujuſmodi, ſanè, casûs meminit Hippocrates; * *Alcippus, quum haberet hæmorrhoïdas, à curatione prohibebatur. Curatus inſanijt. Febre acutâ ſuccedente, ceſſavit.*

Propterea verò, quòd plures curari vellent, licèt medici vetarent, ipſi, dein, excogitâſſe videntur, quî curationem aliquatenus ſuſciperent, ſed tamen viam hanc apertam relinquerent, quæ ægris ſaluti olim verteretur. Diſcere, autem, illud licet, ex effato † ſequenti; *Hæmorrhoïdas ſananti diuturnas, ſi non una ſervata fuerit, periculum eſt hydropem aut tabem ſuccedere.* Unde conſtat, ex mente Hippocratis, unam ſaltem ſervari oportere.

Veruntamen longè aliud legitur conſilium in Tractatu ‡ iſto, qui nomine quidem Hippocratis donatur, atque inter illius opera extat; *Urere oportet, & nullam hæ-*

* Ἐπιδημ. Δ'. † Ἀφορ. T. VI. 12.

‡ Περὶ Αἱμοῤῥοΐδων.

morrhoï-

morrhoïdem ſine uſtione ſinere, ſed omnes exurere. Alterâ, etiam, ratione tradens poſtea curandi methodum, nimirum *ſummas hæmorrhoïdum partes præſecando*, addit, *vena ſanguiflua, unà cum extuberantiâ peribit, & tectorium ſedabitur, & quanto vetuſtior affectio fuerit, tanto facilior ſanatio erit.* Et rurſus, ijs, qui nolunt aut uri aut præſecari hæmorrhoïdas, autor iſtius libelli proponit medicamentorum uſum; quibus ſubjicit; *Hæmorrhoïs ab his medicamentis decedet, velut corium combuſtum. Hæc facito, donec omnes extirpaveris.* Quocirca, tantum abeſt, ut Hippocrates iſtius ſcripti auctor eſſet, ut minimè inter ejus diſcipulos, aut ſaltem quales monitis illius auſcultarent, ſcriptor iſte recenſendus ſit.

Quoniam, autem, hoc emunctorij genus tanti eſſe momenti deprehenſum fuit, ut, hæmorrhoïdibus inſaniæ ſupervenientibus, mens jam tum ad ſe rediret; ſanguinem, in quo morbus iſte contineretur, aptiſſimè ſecerni hâc viâ * monuerunt; quaſi peculiare atræ bili eſſet emunctorium.

* Ἀφορ. T. VI. 11. Περὶ Κρισίων.

Verùm

* Verùm, illud non modò plurimum valet adverſus inſaniam & phrenitidem, quibus ſiqui laborent adeò ſalutaris eſt hicce fluxus; ſed & adverſus magnum iſtum morbum, quo correptis tota mentis vis perit. De quâ re laudatus ſæpe medicus * talia habet; *ſideratis, ſi hæmorrhoïdes accedunt, utile eſt.*

Et rurſus; *Ex hæmorrhoïde parum apparente, vertigines obortæ, parvam ac modicam ſiderationem ſignificant. Solvit venæſectio. Et quicquid hoc modo apparuerit, malum.*

Unde, quàm arctè conjungitur cum cauſis ſiderationis latentibus ille fluxus, palàm fit.

Patet, autem, ex obſervatione † Hippocratis, *viris in civitatibus meridionalibus frequenter accidere hæmorrhoïdas in ſede: Quæ quidem civitates ad ventos calidos ſitæ ſunt; à ſeptentrionalibus verò tutæ ac protectæ;*

* Κωακ. Προγνώσ. † Περὶ Ἀέρων, Ὑδάτων, Τόπων.

præci-

præcipuè ubi aquæ ſalſæ abundant; ubi itidem aquis paluſtribus ac lacuſtribus utuntur.

Nimirum, ita res habet; ſuccos iſtos, qui in tantum ſæviunt, intra viſcera concludere omnino tutum non eſt; imò nec eoſdem lentiores ac flatulentos, qui pituitam viſcidam magis referunt. Hinc, enim, deliramenta, atque ipſa amentia; illinc verò, ſiderationes magis vel minùs fortes, invadere ſolitæ ſunt. Interim, modus hîc cautè ſervandus, curſúſque medius inter utrumque tenendus eſt; ut omnino via, ſi quando opus ſit infenſiſſima hæcce ejicere, pandatur; quæ tamen non eatenus patefieri ſinatur, ut utiles ſimul latices illàc effluant.

Cap. V.

Consilia de sanitate tuenda.

QUONIAM in lubrico sita est hæc ætas, & sanitate quàm integerrimâ frui optat, dum vires atque anni sinunt, hinc primum oritur monitum; Nequid, ultra quod natura jubet, juvenes prodigant; néve futuri prorsus imprudentes hoc ævi spatium percurrant. Siquidem metus est, ne liberaliùs, potiùs quàm parciùs hâc ætate vivatur, quæ non tam obnoxia est parsimoniæ aut frugalitatis incommodis, quàm hisce, quæ ex venâ divite atque luxu ortum ducunt: Ideóque hìc fræno potiùs quàm stimulis utendum. Nec sanè dubitandum, quin pro modo, quo tunc temporis sive profundant, seu conservent homines naturæ dotes, valetudinem magis vel minùs commodam postea experiri soleant.

Alte-

Alterum, dein, ducitur consilium; ut citra extremum illum sanitatis tanquam verticem, nisi quando peculiaris aliqua opera aliud suadeat, subsistere velint; quò pervenire plerisque sorte datum est; ubi verò, securè paucis diu manere licet. Unde neque exercitationes, nec victus usitatus eò ut plurimùm tendant: Nec amor ipse insanus cordi sit. At, si fortè huc usque conscenderint, aliquid protenus demere meminerint; ac tenuioribus, qualia corpus non adeò repleant, per temporum intervalla contenti degant. Sic, perenniùs ac puriùs fluent latices; neque in discrimen bona sua inferent. Si quando, autem, ad lautè vivendum obstricti fuerint, semper providendum, ne occludatur janua, per quam recrementa facilè eliminari possunt.

Proinde, nec ardorem diu tolerare æquum est, at, potiùs, sudore citò iste dispellatur: Nec fatigationem; ast quiete quamprimùm sublevetur: Neque dolorem quemvis acutum aut gravem; at mox lenire convenit. Omnia ferè istiusmodi, uti etiam

am appetitus proſtratus, aut alvus minimè reſpondens, in febrim præcipitant.

Tertiò, conſulendum, ut de ijſdem, quibus replere ſe caſu contigit, aut appetentiâ quâdam ipſi ſtudent, cogitent, quanta, & qualia ſunt : An iſthæc, quæ ingeſta eâ copiâ natura non fert ; an etiam hæc, quæ ad œconomiam corporis turbandam aut evertendam, quicunque ſit modus, manifeſtè tendunt. Etenim facultates eſculentorum potionúmque eædem habendæ ſunt, atque medicaminum ; & pro diverſis illorum æquè ac horum, viribus, diutius operantur.

Quamobrem, à noxijs perpetuò corpus liberare prudentis eſt, ne intus deliteſcant, atque, non niſi ope morborum ſupervenientium, digerantur & ſecernantur.

Quartò, advertere liceat ; facultates iſtorum noxias, quæ in fluidis corporibus reſident, ejuſdem ferè generis eſſe, ac quales palato adblandiuntur, qualéſque ad ingenij vim acuendam, animíque alacritatem excitandam aptæ natæ ſunt ; & quæ, exinde,

inde, sibimet pariter ac sodalibus gratos homines reddere solent. Quorum penè omnium liberiore atque assiduo usu, in hâc ætate constituti subinde periclitantur.

Profectò, stimulis acrioribus aut etiam irritamentis raró indigent flore ævi fruentes; attamen plùs ijsdem gaudere assueti sunt: Quapropter, vicissitudines interponere eos oportet, qui sani perstare volunt.

Scilicet, naturæ solertiam imitari par est, quæ lassitudinem introducens, ejúsque dolorem atque inquietudinem, sibi parentes jubet quieti interdum cedere, somnóque etiam seipsos dedere: Pari, verò, ratione, eosdem, qui crassâ, acri, aut adurente nimis, diætâ usi fuerunt, tenui, molli, ac diluente reficere docet. Quo sanè nonnulli moniti vixêre, alijs non displicentes, sibi interim minimè ingrati.

Quintò, nec tacendum, quòd labores vel exercitationes ad amussim debeant respondere, non modò quieti, sed & ingestorum copiæ perinde atque facultatibus.

Quî,

Quî fit, ut, quò delicatiùs quis vivat, eò minùs ad labores suscipiendos perferendósque idoneus sit; utpote qui minus habet, quod tutò decedere possit.

Qui, verò, laboribus assueverit, is ne robur ab illis speret, quæ remedia sunt ijsdem solis, qui manuum pedúmque operibus eòusque non occupentur. Sicut, è contrà, sanus vix illi sperandus est habitus, qui quotidie vivit, tanquam ad ea tractanda negotiorum genera corpus suum adaptaret, quibus minimè aut raro se immiscet.

Sextò, si quando pustulæ vel aliquæ aliæ eruptiones in cute appareant, quæ quidem huic ætati frequenter accidunt, eædem ne repellantur: Quæ, sanè, nisi causis penitus sublatis, sine periculo disparere non solent. Hinc, enim, febres mali moris accendi non inusitatum est; quum naturæ, sibi infensissima, quæ aliter perdomando impar est, foris abigenti obsistatur. Unde metus est, ne pessimæ notæ symptomata, hujusmodi febres comitantia, robustissimos quosvis opprimant.

Septimò, naturis quibuſdam ſolenniter fluit ſanguis per vaſa hæmorrhoïdalia ; qui quidem fluxus non ſiſtendus, niſi cauſæ ipſius etiam amoveantur. Secùs, latex ſanguineus minùs purus gradatim evaſurus eſt, ac vitia, dein, complexurus, ex lentore oneribúſque extraneis contracta, quæ non tollenda niſi ope febrium ; qúæque itidem minacia nervorum ſymptomata, imò ſæpe maniam ipſam referentia, oſtendunt.

Quod quidem monitum de cæteris emunctoriorum officia præſtantibus æquè intelligendum ; quæ perpetuò obſervatu digna ſunt : Quippe quæ indicia præbent, naturam ſaltem ſupervacaneis ſcatere, ſi non vitiatis itidem laborat ; ad quæ expellenda ſuis ſatis viribus valet. Ideo tamen, quiſquis ſaluti ſuæ conſulet, probè cognitum habebit, quale quantúmque eſt, quod expendere tutò poteſt ; ac, dein, hiſce rite inſtitutis, humorem quemvis perfluentem tempeſtivè ſiſti curet.

Donec certè latebit aliquid vitij, iſtud exigere ſatius erit ; commodiſſimáque eſt

per

per hæc itinera ratio. Interim, verò, ſi humor uſque fluat, idipſum pro morbo eſt ; quoniam indicat, quandam quaſi mineram eſſe, unde denuo corrumpantur puri antea latices ; ac, modò id conſtet, fontes malorum exquirendi, remediáque adhibenda, quæ peccantia ad naturæ leges revocent.

Utile, denique, futurum eſt, quandocunque, per aëris immutationem, repentino frigore meatus corporis occludantur, ac partes circa thoracem pituitæ craſſæ onere laborent, tuſsíque ferinâ excitatâ opus exſcreandi aggrediatur natura, id curare, ne ſicca abſque expectoratione urgeat tuſſis ; verùm omnino confeſtim aſſumenda mollia ea medicamina victúſque appoſitus, quæ naturæ conamina ſuſtentent, efficaciáque, ad rejiciendum per glandes ſalivales, eadem reddant.

Maximi, profectò, hoc opus eſt, noſtratibus hâc ætate verſatis, momenti ; quorum patria tabi opportuna audit ; cuíque, igitur, occurrendum ſedulò : Quoniam vulgatum omnibus eſt, hunc mor-

bum, niſi citò tollatur, raró curationem commodam admittere ; &, quod præcipuè notandum, tabidos hoſce vix unquam animum ſeriò ad mala ſua advertere, niſi poſtquam propè inſanabiles facti fuerint : Adeò ut, quum cunctis, quibuſcum verſantur, caſum eorundem jamjam ferè deploratum eſſe apertè cognitum ſit, ægroti tales ſæpe fidem eorum narrationibus non habeant, donec tandem ad medicum ſe recipiunt, potiùs verecundiâ permoti, ne increduli amicis videantur, quàm, ut à morbo iſtiuſmodi ancipiti periculum effugiant.

Hinc, ſanè, frequenter evenit, ut artem medicam perfugium minùs fidum ultimùm experiantur ; quamvis non medicinæ, ſed ſuæ ipſorum ſecuritati, aut ejuſdem monitorum negligentiæ, tantùm debeatur, quòd medici ſucceſſu careant. Veríque ſimile eſt, quòd hicce affectus, qui florentiſſimos medióque vigore poſitos invadit, incautos inani ſpe decipiat, eò quòd vim deperditam minùs ſentiant, minúſque ideo metu mortis inſtantis præoccupentur : Quos, ergo, idem nec opinus è medijs coætaneis adhuc juvenibus, inter gaudia,

ævíque

ævique ſui præclara & vix ulli faſtidita tempora, præmaturè abripit.

Quò magis, verò, dolenda ſint funera quæque ex juvenibus tabidis apparata; eò utilius videbitur, illud monitum advertere, quod tabi ſtatim ineunti ſuccurrendum voluit.

Cap. VI.

De analogia inter affectus huic ætati accidentes ratione originis.

QUANQUAM ætas adulta varijs infeſtetur morbis, in quos naturâ ſuâ proclivis videtur; iſti tamen analogiam quandam inter ſe habent; dum ex ſtirpe non prorſus alienâ provenientes, diverſis eam modis, aliáſque atque alias corporis partes afficiunt.

Diſtribuuntur, autem, iſti ab Hippocrate in duas claſſes, ſecundum ordinem, ævíque tempus, quando exoriri ſoleant. Prioris ordinis temporíſque * enumerantur, ſanguinis ſpuitiones; tabes; febres acutæ; comitiales, & alij morbi, maximè verò prædicti: Poſterioris, † anhelationes; pleu-

* 'Αφορ. T. III. 29. † 'Αφορ. T. III. 30.

ritides; peripneumoniæ; lethargi; phrenitides; febres ardentes; alvi profluvia diuturna; bilis ſurſum ac deorſum effuſiones; dyſenteriæ; inteſtinorum lævitates; hæmorrhoïdes.

Analogia, interim, ſervatur ratione originis, vel durationis, ſive itidem modi temporíſque, quo afficiunt, aut etiam ſedis, partiúmque aut organorum exinde læſorum.

Quod attinet, autem, ad originem, hi debentur vitijs ſanguinis, quem natura hâc ætate elaborat, exaltátque, quantum licet, ad puritatem ſummam: Quî fit, ut nullam craſſiorem viſcoſiorémque materiam in eodem latice exuperantem ferre poſſit: Utpote quæ prohibeat, ne totus percaleat, ínque rivos tubulorum capillarium haud ægrè deducatur, atque vires muſculis impertiat, organíſque, tam quæ ad vitam, quàm quæ ad ſenſum & rationes percipiendas pertinent. Itaque, neceſſe eſt, ut cunctæ protinus viæ aperiantur, cunctáque repagula ſubmoveantur, quæ anguſtiſſima ubivis corporis itinera latici ſanguineo obſtruunt.

Quapropter, ſubtiliore opus eſt flammâ, quæ pervadat luſtrétque antehac impervios minutiſſimóſque canaliculos, quíque à primis natalibus ad hoc uſque ævi tempus occluſi fuiſſent. Huic, nimirum, operæ inſerviunt, quæcunque vel in victu penetrandi facultates obtinent, aut in quibus ope aëris vel exercitationum roborandi atque animandi poteſtas ſita, elici queat.

Proinde, poſtquam hiſce ſubſidijs ampliſſimis interiores corporis viæ augeantur atque impleantur, iſthuc totum in ſpeciem rotundiorem pleniorémque dilatatur: Dum latex ille ſuaviter rubicundus per cutem, ad inſtar reticulæ textam, vaſorúmque ora velantem, tranſlucet.

Ex quibus rite diſpoſitis oculos percellit formoſus ille totius ornatus, gratúſque color; maximéque in ore pulcherrimus decor ſubridet, ſummæ ſanitatis flos; qui amorem ſpectantibus accendit, quíque oculos omnium ad ſeſe attrahit.

Atque

Atque ita, nequid vitij minùs ſubactum in quovis corporis angulo lateat, duræ adhuc compages intus naturæ non obedientes, igne hoc ſuperveniente liqueſcere, & in teneros molléſque liquores abire : Qui flammarum hinc liquidarum naturam referunt ; necnon interdum etiam corporis ſolidiora ſolvunt ; interdum &, ignibus pabulo idoneo ſuſcitatis, partes nobiliores atque ipſas tandem vitales abſumunt.

Hinc, autem, ſi ſanguis eòuſque attenuari contigerit,per os expuitur,& interdum non ultrà procedit, verùm, copiâ imminutâ, paulatim flamma extinguitur : Illinc, interdum, ſpuitio lento progreditur paſſu in ipſam tabem ; unde frequenter evenit, ut illa hanc prænunciet.

Quòd ſi, verò, fomes alius deliteſcat, neque exolvi poſſit, alijs interim extrinſecus urgentibus, febris accenditur ; quæ quidem hâc ætate acuta eſſe ſolet ; utrùm ea judicari citò poſſit, atque exinde revertatur ſanitas ; vel in mortem, medicinæ non cedens, deſinat.

At

At ſi, dum id operis tranſigit natura, reliquiæ maneant viſcoſiores, quæ minùs inflammabiles evadunt, alicubi canaliculorum ſitæ, atque adeò obſiſtentes motui ſanguinis, ut circulus ejuſdem liberior impediatur, íſque ægrè abſolvatur ; nervi jam in auxilium vocantur, ac paroxyſmis morbi comitialis correpti, hanc materiam egerere nituntur.

Cujus, ſanè, affectûs gradus quamplurimi notantur, pro vario iſtius materiæ obſiſtentis ingenio, ac prout iſta ſedem magis minúſve à rivis canalibúſque patentioribus vel amplioribus remotam obtinet.

Cui accedit etiam natura ægri, quæ crebriùs hiſce paroxyſmis corripitur ; iiſdémque magis læditur ; qúæque loca, propter debilem nervorum texturam, vitioſis hiſce commoda exhibet : Utpote quæ ejuſmodi affectibus priùs obnoxia fuerit.

Quapropter, & cæteri affectus iſtiuſmodi frequenter infeſtant ; qui tamen affinitatem quandam cum hiſce nominatis præ

ſe

ſe ferant, atque ex ijs probè intelligi queant.

Poſterioris, itidem, qui ſunt claſſis affectus, analogiam ratione originis inter ſe habent. Siquando, enim, glutinoſa ac tenax materia ex alimentis minimè digeſtis ſanguinem, accedente externo ambientis aëris (qui faveat) ſtatu, eòuſque onerent, ut per pulmonem tramites ægrè referentur; anhelus fit iſte pulmo.

Reſpondet, autem, morbus iſte affectibus reliquis tum pleuritidi, tum peripneumoniæ; qui omnes eidem malo ſæpe ortum ſuum debent.

Hoſce inſequitur lethargus, ubi, nervis oneri viſcido ſuccumbentibus, memoria elanguet: A cujus tamen fonte non longè abeſt phrenitidis origo: Quamvis inibi mens ipſa delira, aliter, quàm par eſt, judicet, ac violentiùs æquo extra ſe rapi videatur; quæ quidem in lethargo concidit, & vix aliquid ſeſe dignum profert.

Quum

Quum ætas jam conftans ad fupremum fanitatis faftigium affurrexerit, ardori pariter opportuna eft, fi quando, ex alimentis validiffimis, quæ difficilia coctu funt, fomitibúfque, qui robuftioribus pabulo funt, excandefcat febris. Etenim, dum quotidie hifce fuccis ardentibus expleatur corpus, nil miri, fi per glandes inteftinorum viâ communi rejicere, (confpirantibus ad id ipfum peragendum aëris tempeftatífque anni viribus) fuperflua conetur potens natura ; nec, fi vegetantium fucci, jam folem æftivum paffi, bilem exacuant : Quæ, deinde, per utramque portam inferiorem æquè ac fuperiorem, prorumpat. Quâ quidem ratione inteftinorum tunicam tenerrimam tutari nititur, ac fimul cavere, ne totus fanguis communi incendio exolvatur.

Quinetiam, ipfe fanguis ingeftis acribus fæpe attenuatur, adeò ut per inteftina tranfeat, urente nimirum eadem dolore : Nec, profectò, abfimilis videtur iftius affectûs origo ; qui eò aliquando exurgit, ut nihil contineant

tineant inteſtina; verùm, quaſi lævigata eſſent, alimenta cruda iſthæc prætereant.

Tum, demum, ad levandum viſcido onere ſanguinem, vix circumfluum, ac ſimul ad opem nervis ferendam ſe accingit natura, & deorſum aliquando per vaſa hæmorrhoïdalia portam aperire nititur: Ex quo acria tubulos ipſos atque eorundem ora rodentia, non ſine moleſtiâ ac dolore nonnunquam ſævienti, vacuentur.

Quantumvis, ſcilicet, diverſa appareat affectuum iſtorum congenerum facies, analogia tamen eatenus inter hoſce intercedit, quatenus ab origine haud diſſimili pendent, & cauſis cognatis editi videntur.

Cap. VII.

De analogia affectuum ratione durationis.

PROXIMUM eſt, ut in durationem morborum, quâ ratione ſeu breves ijdem, ſive longi haberi debent, inquiramus. Brevitas, autem, ſive diuturnitas eorundem, ex materiæ peccantis copiâ, ipſiúſque tenacitate, non ſine ratione habitâ ad viſcerum firmitatem vel debilitatem, æſtimari poteſt. Nonnunquam etiam & ſedes attentionem meretur; quæ quidem anguſta vel ampla ſit, propiórve, vel remotior ab emunctorijs commodis.

Quum materiæ tenacis copia, quæ ſecernenda eſt, vaſa ac viſcera obſideat, vix ſperare eſt, ut brevi ſanitas reſtituatur; quippe quæ non niſi paulatim comminui atque

atque rejici poſſit : Quamvis, integris ægrorum viribus & firmo ſimul viſcerum tono, citiùs id operis exequi queat natura ; ſicut è contrario, idipſum plus temporis exigit, ubi infirmitas ſubeſt, aut aliquid aliud impedit, ex parte loci alicujus, ubi iſtud vitioſum reſideat, quò minùs celeriter per deſtinatas naturæ vias eliminetur.

Quòd ſi incluſa fuerit tam arctè materia, ut non niſi per abſceſſus internos porta detur ; donec iſti maturuerint, expectandum, priuſquam ſpes morbi ſolvendi afferatur.

Eſt etiam, ubi nobiliore in parte reſideat, propiúſque vitæ ſenſûſque fontes ſitus ſit iſte fomes, atque ubi vix ſine periculo imminente abſcedere liceat.

Hiſce quidem præmiſſis, intelligere eſt, quænam ferenda ſit ſententia de diuturnis acutíſve morbis ; & quî fiat, ut ſuſpicio ſemper mali latentis medentibus hinc oboriatur, quando levamen ultra ſolitos temporis terminos differatur ; illinc, quando affectus quivis maturiùs diſpareat, quanquam cæteræ ægrorum res, quæ æquis paſſibus comi-

comitari debent, non eò uſque proceſſerint: Sicuti, ex adverſo, quàm æquum ſit bona omnia prænunciare, quandocunque nec celeriùs, nec diutius, quàm morbi natura ferat, convaleſcere ægri videantur.

Itaque, qui morborum leges intuens tempus nôrit debitum, atque ad hanc normam perpetuò examen inſtituit, næ ille ſolus prænoſcendi, exitum vel ſalutarem vel infauſtum, facultate præditus videtur.

Quamobrem, dum ea reſpicimus, quæ ad morbos recenſitos pertinent, duratio quidem varia eſſe conſtat, prout iſthæc ſingula, quorum meminimus, indicia fiant, ex quibus, morbum vel fore longiorem vel breviorem, colligi queat.

Eſto, igitur, ſanguinem quemvis expuere; ſi pleniore quaſi rivo is effluat, notum eſt hunc morbum non diu duraturum. At, ſi guttæ aliquot exſcreentur, longus iſte affectus fieri poteſt, modò copia larga ſanguinis ſuperflui adſit; atque etiam, ſi vitio aliquo inhærente idem nimiùm attenuetur; vel, quod non infrequenter accidere

dere ſolet, aliquid obicis infigatur, unde ſanguis tanquam vi prorumpere & exilire contigerit. Quale quoddam ſanguini, quando lentus aliquis fomes circulo ejuſdem alicubi impactus fuerit, accidere conſuevit.

Quoniam, verò, ſanguinis ſpuitio tabis ſæpe prænuncia eſt, ad eandem proximè accedendum : De quâ ſanè pari ratione conſtabit, feſtinétne, vel lentiore paſſu progrediatur ; nimirum, ex magnâ vi, aut ejus exiguitate, quod corpori decedit. Cui quidem ſi ſuperveniat febris, multò celeriùs ad terminum pervenit.

Quin & febres acutæ priori hujus ætatis ſtadio invadunt, dum ſanguis exardeſcat, iſque, in quo continetur fomes, qualis faciliùs flammas concipit : Quæ, itidem, non diu durent, uſque dum in poſteriore ſtadio ætas firmata fuerit, ac, dein, ijs febribus opportuna fiat, quibus accenſus ignis graviùs excandeſcat.

Interea, patet, morbum comitialem longum interdum fieri : Quoniam non ſolùm ex viſcidâ materiâ conflari ſolent iſta repa-

gula, quæ huic morbo dant natalitia; sed & intimos nervorum plexus obsident, prope ipsam primariam vitæ æquè ac sensûs sedem; cujus utriusque, durante istius paroxysmo, functiones læduntur, sensûs verò ad tempus abrogantur.

Quod ad durationem, autem, posterioris morborum classis, ijdem breviori aut longiori temporis spatio solvuntur, quò plus vel minus oneris per singulos egerere conetur natura: Quippe qui, tanquam luctantis, nonnunquam etiam penè oppressæ, naturæ indicia æstimandi sunt; quæ ideo, dum minæ ejusmodi intententur, præsentia adhibenda esse remedia ipso angore moneat.

Propterea, quum de anhelatione scribat Cælius; * *Quæ ex profundo frigore sequitur patientes spirationis difficultas, frequenter natura celerior, magis quàm tarda*; subjicit tamen paulo pòst; *Differt autem hæc passio à peripleumoniâ, quòd neque cum febribus necessariò fiat, & semper tarda esse videatur.*

* Morb. Chron. L. III. c. I.

Qui,

Qui, igitur, de hoc morbo inter chronicos agit.

Ubi, quidem, diverſitas ex vehementiâ affectûs naſcitur, quæ pro varijs cauſis breviùs vel diutius durat. Quemadmodum ſequentibus Celſus * diſtinguit ; *Omne in difficultate ſpirandi conſiſtit ; ſed hæc, dum modica eſt, neque ex toto ſtrangulat,* δύσπνοια *appellatur : Cùm vehementior eſt, ut ſpirare æger ſine ſono & anhelatione non poſſit,* ἄσθμα *: Cùm acceſſit id quoque, ne niſi rectâ cervice ſpiritus trahatur,* ὀρθόπνοια. *Ex quibus id, quod primum eſt, poteſt diu aliquem trahere : Duo inſequentia acuta eſſe conſuêrunt.*

Quî fit, ut ſpirandi difficultas ætatis vergentis propria naturâ ſuâ affectio ſit ; anhelatio verò, conſiſtentis.

Idem etiam in pleuritide obtinet ; de quâ re audiendus † Cælius ; *Frequentat hæc paſſio in ſenibus magis quàm juvenibus. Tuſſiculoſa enim atque frigida ſenilis eſt ætas : quo intelligimus profectò, hanc paſſionem pue-*

* L. IV. c. 4. † Acut. Morb. L. II. c. 13.

ros difficulter incurrere. Qui & paulo pòſt ſubjungit; *Eſt præterea paſſio acuta, atque celeris ac vehemens.* Quibus verbis hic autor videtur indicâſſe, hunc morbum potiùs ad poſterius ævi ſpatium, quàm ad prius, quando de juvenum affectibus agatur, nedum ad puerilem ætatem referendum eſſe; qui & de eodem præſertim intelligendus, quatenus ex frigore initium eſt.

Ea, interim, dilucidiùs more ſuo tradit * Celſus; *Interdum id malum* [vehementes ſcilicet in lateribus dolores] *intra dolorem eſt, iſque modò tardè, modò celeriter ſolvitur: Interdum ad perniciem quoque procedit; oritúrque acutus morbus, qui* πλευριτικὸς *à Græcis nominatur.*

Peripneumonia, quæ inſequitur, juxta † Cælium *eſt paſſio generaliter acuta*; quæ & Celſo ‡ *vehemens & acutus morbus* dicitur: Iſque certè eò magis, quò propiùs ad typum aſſurgit. Ex quo duratio brevior vel longior habenda eſt.

---

* L. iv. c. 6. † Acut. Morb. L. ii. c. 27.
‡ L. iv. c. 7.

Porrò,

Porrò, quod attinet ad durationem, lethargus ad prædictos affectus analogiam servat. *Id * quoque genus acutum est, &, nisi succurritur, celeriter jugulat.* Videlicet, *Hic* † [lethargo nempe correptus] *in septem diebus moritur. Si verò has effugerit, sanus evadit.*

Soranus ** *pressuram celerem vel acutam cum acutis febribus* [hoc est, Lethargum] *frequentare, inquit, in senibus. Siquidem aptior sit sensuum difficultati atque demersioni ipsa quoque senectus:* At, sanè, vix acutis febribus. Quare, autor ille, senectute posterius etiam hujusce ætatis stadium complecti, videtur.

Phrenitis quoque †† *acuta & in febre est;* ideóque, Cælio *†* distinguente, *phrenitici afficiuntur febribus acutis vel celeribus, furiosi verò, tardis.* Historia phrenitici apud †*† Hippocratem extat, ubi æger die quartâ

---

* Cels. L. III. c. 20. † Περὶ νούσων. L. II, 63.
** Apud Cælium, Acut. Morb. L. II. c. I.
†† Cels. L. III. c. 18. *†* Acut, Morb. L. I. c 5.
†*† Ἐπιδημ. L. III.

mortuus eſt; altera, * ubi decimâ octavâ die morbus remiſerit.

Febres, itidem, ardentes eandem, ratione brevis durationis, analogiam ſervare palàm eſt.

De alvi profluvio, quando diuturnum eſſe cœperit, hæc Celſus; † *Uno die fluere alvum, ſæpe pro valetudine eſt; atque etiam pluribus, dum febris abſit, & intra ſeptimum diem id conquieſcat.*

At, verò, bilis ſurſum ac deorſum effuſio minimè in longum duci ſolet; *Iſta* ‡ *denique acuta atque celerrima paſſio eſſe à veteribus memoratur, ut nunquam in ſecundum veniat diem.*

Dyſenteria longior vel brevior eſſe conſuevit, prout magis vel minùs vehemens, ac prout continua eſt, vel ſubinde remittere ſolet. Ideóque, juxta ** Cælium, *eſt*

* Ἐπιδημ. L. VII. † L. IV. c. 19. ‡ Cæl. Acut. Morb. L. III. c. 20. ** Morb. Chron. L. IV. c. 6.

difficilè

difficilè celer, frequentius tamen tardans passio.

Itaque, obſervante * Celſo, *longo tempore id malum, quum inveteraverit, aut tollit hominem, aut, etiamſi finitur, excruciat.*

De Lienteriâ ſimiliter Celſus; † *Id interdum ægros trahit, interdum præcipitat.*

Hæmorrhoïdum fluxûs eadem ferè ratio eſt, atque alìus cujuſvis ſanguinei. ‡ *Oris*, enim, *hiſce venarum juſtò largiùs inanitis, habitum in aquam ſubter cutem reſolvi contingit, & affectos infeliciter contabeſcere. Periculum, verò, eſt etiam ne largum ſanguinis profluvium accidat; quemadmodum ne idem in totum ſupprimatur. Atque,* monente ** Celſo, *in quibuſdam parùm tutò ſupprimitur, qui ſanguinis profluvio imbecilliores non fiunt.* Itaque, imbecillitas ſtatuenda eſt norma præcipua; ſecundum quam vel diutius fluere ſanguis ſinendus eſt, vel citiùs ſiſtendus.

* L. iv. c. 15. † L. iv. c. 16.
‡ Æginet. L. iii. c. 59. ex interpretatione Guinterij.
** L. vi. c. 18.

C a p. VIII.

De analogia eorundem ratione modi temporiſve quo afficiunt.

QUINETIAM, ad afficiendi modum advertere illi videbitur, quiſquis inter morbos hoſce analogiam probè addiſcet. Huc, autem, ſpectant antecedentia, nec non iſta, quæ ipſos affectus comitantur aut inſequuntur. Nimirum, utrùm dolor ſpuitionem ſanguinis præceſſerit, qui poſt ipſam lenitur : An tuſſim comitem habuerit ; atque, an rigore correptus fuerit ; aut, ſine his, & ſimilibus, gravantibus vel levantibus, purus ſanguis tanquam ore efflueret.

Rurſus, de tabe quærere eſt ; utrùm abſque tuſſis moleſtiâ, ſudoribúſque copioſis, aut exacerbatione recurrente, corpus emacietur ; an quotidie urgeat ardoris acceſſus, aç, dein, ſudore poſtea diffluat tabidus. An, itidem,

itidem, ſpuitio ſanguinis prægreſſa fuerit; &, modò tuſſis ſicca abſuerit, quale exſcreet ſputum.

Similiter, de febri acutâ, ſiquando invadat, diſpiciendum, utrùm exacerbetur, remittátve, vel etiam ſic deſinat, ut ex toto ſequatur integritas: Quæ ſymptomata dominantur; & quî reſpondent excreta. Quæ quidem adeò utilia ſunt cognitu, ut, hiſce neglectis, auſpicatò methodum medendi proponere non liceat.

Quo, igitur, in genere remedia efficaciſſima ſpem frequenter fallere videmus; propterea quòd, ratione horum minimè habitâ, intempeſtivè uſurpari contingat: Unde, febris acceſſionem, cui tollendæ aliter paria eſſent, in præſens quidem ſupprimant; ultimùm, verò, faciant, ut radices ipſa altiùs agat; quæ, dein aliorum induere morborum habitum cogatur: Ex quo, ſanè, ſeges eorundem nova, naturæ incognita, ægrotum obſidet. Quî tandem fit, ut ex unicâ febri acutâ, deſtinatâ à naturâ ad onus ſanguinis excernendum, jam aliàs atque aliàs larvati plures exoriantur

affectus

affectus diuturni; qui, quantumvis longum temporis ſpatium afflictârint, feliciter demum tolli nequeunt, niſi per conſuetas vias ſanguinis itinera repurgando.

Morbus, autem, qui * *comitialis vel major nominatur*, hoc modo afficere ſolet; *Homo ſubitò concidit, ex ore ſpumæ moventur; deinde, interpoſito tempore ad ſe redit, & per ſe ipſum conſurgit. Modò cum diſtentione membrorum, aut nervorum prolabitur aliquis, modò ſine illâ.*

Rurſus; † *In quo* [morbo comitiali] *ab unâ parte corporis venientis acceſſionis ſenſus incipit, optimum eſt à manibus pedibúſve initium fieri; deinde, à lateribus: Peſſimum inter hæc, à capite.* Poſtea dein ſubjicit; *In eodem morbo, ſi ſimul totum corpus afficitur, neque antè in partibus aliquis venientis mali ſenſus eſt, ſed homo ex improviſo concidit, cujuſcunque is ætatis eſt, vix ſaneſcit: Si, verò,*

---

* Celſ. L. III. c. 23. † Idem L. II. c. 8.

aut

*aut mens * læsa est, aut nervorum facta resolutio, medicinæ locus non est.*

Hippocrates, ex cujus operibus Celsiana hæc desumta sunt, excipit quidem illos, quorum mens mali aliquid habuerit, aut siquis sideratus factus fuerit : Cujus rei causam exponit ; quoniam hæ atrabilariæ emotiones non sunt conducibiles : Aliæ verò, quæ ad infernas partes convertuntur, omnes bonæ sunt. Longè verò optimæ & hîc sunt, quæ sunt sanguinolentissimæ.

Siquid, enim, abscedat secundum loca corporis inferiora, morbum istiusmodi solvere poterit. Quod, sanè, in primâ ætate sæpius videmus, dum insultus hujusce morbi desinant, pustulis alicubi sese ostendentibus.

Veruntamen, & altiùs inquirit in hujusce affectûs naturam, dum plura alia

* Προῤῥητικ. Β΄. Πλὴν ὅσον αἱ φρένες τι κακὸν ἔχουσιν, ἢ εἴτις ἀπόπληκτος γέγονεν· αἱ μὲν γὰρ μελαγχολικαὶ αὗται ἐκςάσιες ȣ̓ λυσιτελέες. Αἱ δὲ ἄλλαι, αἱ ἐς τὰ κάτω τρεπόμεναι, πᾶσαι ἀγαθαὶ ἄριςαι δὲ καὶ ἐνταῦθα πόλλῷ αἱ αἱματηρόταται.

symp-

ſymptomata recenſet; quibus omnibus, morbum antea factum fuiſſe, ſcire oportet, præ his univerſis. Et plurimi, qui pueros educant, ſi interrogentur, confitebuntur; quoſdam verò etiam res latet, negántque ſe ſcire, tale quicquam factum fuiſſe.

Nempe, quando morbus iſte cum alienis ſymptomatis conjungatur, licèt inſultu ætate adultâ urgeant, forſan tamen radices in puerili egit; atque exinde, ſub aliâ ſpecie poſthac vires exerit. Pleraque, autem, quorum meminit, ſymptomata, ejuſmodi ſunt, quæ nervoſum genus afficiunt, aut quæ corpori ſolent accidere indies creſcenti; dum vias minutiſſimas aperire opus eſt, ut latices ſubtiliſſimi totum pervadant; útque in latitudinem, quam juſtus vigor requirit, eædem amplientur.

Hinc, analogia quædam conſpicitur inter morbum comitialem, eóſque nervoſi generis affectus, qui ante maturitatem obſervantur: Adeò ut, ſiquâ ex parte minùs habile eſſet nervorum ſyſtema, vel, quod iiſdem infenſum eſſet, per abſceſſus, vel propria ejuſmodi emunctoria, rejici non poſſet,

possèt, jam tum adultis morbus hicce supperveniat. Ideo, verò, Cælius, * ephialten esse hujusce *tentationem*, scribit.

Quinetiam, præter ea, quæ morbo huic ad summum perducto accidunt, casum nimirum subitum cum spumante ore, plurima enumerantur symptomata, quæ communia sunt aliorum nervosi systematis affectuum; atque igitur, licèt caducus iste morbus majoribus annumerandus sit, quibusdam tamen minoribus secundum plura haberi debet.

Inter illos, autem, anhelatio sæpe nascitur, ac, dein, suspiria edunt eâdem affecti. Ubi, igitur, discernendum istiusmodi affectum, cui naturæ nerveæ frequenter obnoxiæ sunt, ab illo, qui ab onerato sanguine rivos premente, lateráque vasorum distendente, ortum ducit. Quod, sanè, licet, advertendo † *dolorem in pectore præcordiisque, interdum etiam in scapulis*; qui *modò decedit, modò revertitur*; *adhuc etiam accedentem tussiculam*. Quæ, iti-

* Morb. Chron. L. II. c. 3. † Cels. L. IV. c. 4.

dem,

dem, * *tussicula nunc arida, nunc uvida, cum sputis tenuibus & spumosis, aut crassis & viscosis, & sudoribus, & calore morbido, atque pulsu humili.* Maximè, verò, ex pulsu dignoscitur; qui vix unquam fallit, quandocunque quæratur de morbi genere; utrùm nervi præcipuè, minùs verò sanguis, afficiantur. Quò spectant & comitantes nervosi generis affectus, eáque, quæ antecesserint, ad naturam ægri comparata: Idipsum quoque plurimùm confert ad hujus rei notitiam; an, † *ex initio generatur*, an, *ex quibusdam perfectis irruit passionibus.* Quod quidem eò magis attentionem meretur, quò accuratiùs ista ab Autore ‡ laudato tradantur; *Gravat, atque premit hæc passio magis mulieribus viros, & juvenibus ** senes, atque pueros, & durioribus naturâ corporibus tenuiora, hyberno atque nocte magis, quàm die vel æstate. At si gravior impetus superpositionis fuerit, ora ægrotantium livescunt, & quidem, excluso per nares humore mucilento, relevantur, at-*

---

* Cæl. Morb. Chron. L. III. c. I. † Cæl. ibid. ‡ Ibid. ** Qui intelligendus Cælius, de senibus loquens. v. cap. præced.

que

que præfocationis metu, quod non aliter cedit, etiamsi per oculos lacrymarum fuerit fluor.

Anhelatio, verò, analogiam ad pleuritidem habet; quippe cui * *simul accedit spirandi difficultas, tussis, dolor usque ad jugulum & præcordia pertinens.*

† *In stomachi lateribus* (vel, secundum ‡ Soranum, *interioribus lateris partibus*) *vehementes dolores esse consuêrunt: Et per tussim exscreatur, si tolerabilis morbus est, pituita; si gravis, sanguis. Interdum etiam sicca tussis est, quæ nihil emolitur.*

Quin & de tussi ac dolore expressiùs hæc Paulus; ** *Tussis aliàs sicca, cùm & crudus morbus significatur; aliàs cum sputo, quod humoris, qui morbum facit, index est. Rubrum siquidem & subcruentum editur, cùm sanguis superat: Flavum verò, & subpallidum, cùm flava bilis: Quemadmodum, rursus album & leviter spumosum, cum pituita: Ob melancholicum verò succum, nigrius.*

* Æginet. L. III. c. 33. interpr. Guint.
† Celf. L. IV. c. 6. ‡ Apud Cælium, Acut. Morb. L. II. c. 13. ** Ibid.

Hisce

Hisce *dolor punctorius adest.* Subjicit etiam; *Pulsum durum & serræ modo inæqualem obtinere.*

Insignis, profectò, & planè quasi ad vivum delineata est Cæliana * hæcce pleuritidis imago; ubi varius afficiendi modus accuratissimè depingitur, secundum morbi tempora; ac, tempora; ac, quando in deterius ruat, adauctis sævientibúsque symptomatibus, & ipsis demum adurentibus; atque, ubi immutationem ac transitum secretorum in alia notat, prout morbus ingravescit. Qui quidem locus integer ei inspiciendus, quisquis exquisitè hujusce morbi morem callere velit.

Hactenus pleuritis vera; quæ verò sequuntur, non ideo omittendæ, quoniam easdem frequentiùs videmus; *Quibus* † *pleuritides ex musculorum exteriorum inflammatione creantur, quæ propriè pleuritides non sunt, ijs cum eo quòd sint sine tussi, sine sputo, ac sine pulsûs duritie, ad manûs tactum locus affectus indolescit.*

* Acut. Morb. L. II. c. 14. † Apud Paulum Æginetam, ibidem.

Sicuti,

Sicuti, verò, anhelationi aliquatenus similis est pleuritis; ita etiam ab eadem (Cælio * docente) *celeritate discernitur, & febri atque dolore. Siquidem illa tarda sit, & sine febribus, aliquando etiam sine dolore.*

Quod ad tempus, autem, attinet, ferè commune est anhelationi ac pleuritidi : Quippe quæ † *frequentat etiam hyberno, magis quàm autumni, tempore, quod hyemi vicinatur.*

Proximè agendum de modo, quo peripneumonia afficit; quæ inter morbos pleuritico congeneres agnoscitur : Quomodo nonnunquam fiat, ut ‡ pleuritis in peripneumoniam migret. Peripneumoniæ verò, ** *hæc conditio est. Pulmo totus afficitur. Hunc casum ejus subsequitur tussis, bilem vèl pus trahens; præcordiorum totiusque pectoris gravitas, spiritûs difficultas, magnæ febres, continua vigilia, cibi fastidium, tabes. Id genus morbi plus periculi quàm doloris habet.*

---

* Acut. Morb. L. II. c. 17. † Apud eundem, Acut. Morb. L. II. c. 13. ‡ Κωακ. Προγνώσ. ** Celſ. L. IV. c. 7.

Quin imò, Cælius * hanc migrationem ſequentibus verbis deſcribit ; *Intelligimus eos, qui in augmento pleuriticæ conſtituti paſſionis, proni atque faciles in peripneumoniam videntur ; quum cæteris omnibus pejorantibus ſignis atque in magnitudinem extentis, ſolus dolor minuitur, atque jacendi poſitio, ex parte facilior ac levior ſupina ægro fuerit viſa ; aucto genarum rubore ; conductu etiam ſuperciliorum è medio vehementer, tanquam in mœſtitudine conſtitutis, oculorum atteſtante fervore.* Dein, poſtea aſſerit ; † *ſed in peripneumonicis totus tumet pulmo, nec ullus tamen ſequitur dolor.*

Præterea, alii ſubjiciunt plura circa afficiendi modum, qualia ſunt ‡ *diſtenſio pectoris, tumor & magna repletio faciem occupans, materiâ ſurſum ignis inſtar impetum faciente. Malæ itaque in his rubent, oculi intumeſcunt, ſupercilia deorſum nutant ; tunica oculi ceratoïdes in pinguedinem langueſcit. Cùm vera ſigna ad æſtum flagrantiorem declinare videntur,*

* Acut. Morb. L. II. c. 15. † Acut. Morb. L. II. c. 16. ‡ Ægin. L. III. c. 30. vertente Guinterio.

dentur,

dentur, pulmonis inflammatio erysipelatis naturam recipiens, subesse existimabitur.

De quibus sanè Cælius tam fusè agit, ut vix quidquam accuratam illius diligentiam prætereat: Quorum quidem recapitulationem neque hìc loci omittendum; * *Etenim prædicta, quæ peripneumoniam designant, vel concurrentia complent, sunt hæc, febres acutæ, spirationis celeritas, ac difficultas, tussicula, atque sputorum varia emissio, gravatio sine ullo dolore, aut cum parvo, præfocationis sensus.*

Itaque, ad acutam adeò morbi hujusce vehementiam quadrat Cælij † observatio; *Afficiuntur juvenes magis, atque ætatis mediæ; at senes, vel pueri, vel mulieres difficilè.* Idque ‡ *hyeme* potiùs quàm cæteris anni temporibus.

Lethargus ** *phrenitico contrarius morbus est: In hoc difficilior somnus, promta ad om-*

* Acut. Morb. L. II. c. 26. † Acut. Morb. L. II. c. 25. ‡ 'Αφορ. T. III. 23.
** Celf. L. III. c. 20.

nem audaciam mens est; in eo marcor, & inexpugnabilis penè dormiendi necessitas.

Vocatur * *lethargus à consequenti passioni oblivione: Græci enim* λήθην *oblivionem vocaverunt,* ἀργίαν *vacationem, quam corpori atque animæ ingerit vis supradictæ passionis.*

Et est comparatione gravior phrenitide, non aliter quàm negatus in toto visus, ab ex parte impedito; vel silentium, ab impeditâ loquutione; aut surditas, ab auditûs falsitate; vel hebetudo sensuum, à difficultate.

Denique, phrenitici sæpissimè in lethargiam venerunt; ut, declinante lethargiâ, aliquando è contrario, lethargi in phrenitim. Quorum haud rariùs ex supradictis prima contingunt.

Siquidem facilè periclitantes passionis magnitudine in pejorem deveniant; difficilè autem in periculis bona locum accipiunt.

Quod verò ad afficiendi modum singulariter pertinet; † *semper cum difficultate*

---

* Cæl. Acut. Morb. L. II. c. I. † Cæl. ibidem.

sensuum

ſenſuum atque febribus hæc intelligitur paſſio. Quæ quidem *febres acutæ, ac vehementes, & ſæpe continuæ, ac difficilè ad ſuperficiem corporis aſcendentes; ſive * dimiſſionibus intercapedinatæ* ſunt.

Quod ultimum tam frequenter accidit, ut *Tharrias † quidam, acceſſionis eſſe id malum* [ſcilicet dormiendi neceſſitatem] *dixerit, levarique cùm ea deceſſit.*

Hujus, itidem, affectûs morem graphicè depinxit autor ‡ ſæpe laudatus; cujus de fonte huc derivare, ultra quod inſtituti hujuſce ratio poſtulat, vix licet.

Porrò, Lethargus, obſervante Paulo, ** *peculiarem quandam conſtitutionem obtinet; ſupervenit comitialibus.*

Lethargum, autem *frequentare in ſenibus*, inquit *†* Soranus: De quâ re, quum de duratione agebatur, dictum fuit.

* Idem Acut. Morb. L. II. c. 3. † Apud Celſum L. III. c. 20 ‡ Cæl. Acut. Morb. L. II. c. 3. ** L. III. c. 9. *†* Apud Cælium, Acut. Morb. L. II. c. I.

Febribus hæc ardentibus superveniunt, docente Paulo * (qui ex Oribasio desumsit) juxta Guinterij versionem ; *Arida lingua, aspera & nigra, ventris rosio, dejectiones pallidæ, sitis vehemens, vigiliæ, nonnunquam etiam delirium.*

Ubi notandum, quòd Guinterius emendet unicam vocem, dum legendum ille contendit, τραχεῖα pro παχεῖα : *Non, enim, ait ille, crassa lingua, sed aspera vel scabra dicendum est.* Verùm, in voce παχεῖα sensus est plenior ; scilicet, qualiter lingua in febribus ardentibus non modò asperetur, sed & quasi glutinosis humoribus inferciatur ; unde nonnunquam usus ejusdem difficilis redditur. Quemadmodum apud Hippocratem † repertum est, τῆς κεφαλῆς τὰ δέρμα παχὺ καὶ ἐρυθρόν· eodem modo lingua crassa, vel densa, & nigra appellari potest.

At, si adeò pervicax sit morbi fomes, ut nequicquam eundem egerere aggrediatur natura per dejectiones, diuturna hinc alvi

---

* L. II, C. 29.

† Περὶ τῶν ἐντὸς παθῶν.

proflu-

profluvia, quibus * supervenit sæpe dysenteria.

Proximus, verò, morbus, ubi bilis sursum ac deorsum effunditur, tantâ sæpe cum vi invadit, ut æger vel minimâ morâ periclitetur.

Dysenterici eo modo afficiuntur, quo intus exulcerati : Quî fit, ut † *cruor manet, cum quibusdam quasi mucosis ; interdum simul quædam carnosa descendunt. Solet autem interdum putris sanies, pessimique odoris descendere ; solet & interdum purus sanguis profluere.*

Cui quidem supervenit ‡ *lævitas intestinorum, quæ ex torminibus oritur ; quâ continere nihil possunt, & quicquid assumtum est, inconfectum protinus reddunt.*

Hæmorrhoïdes, quando sanguinis largum accidat profluvium, vel quando in totum idem supprimatur, vel, si quando dolorem intus movent, nihil autem excernunt, pro morbo habendæ sunt.

---

* 'Αφορ. T. VII. 75. † Cels. L. IV. c. 15.
‡ Cels. L. IV. c. 16. 'Αφορ. T. VII. 76.

Proinde, in universum, simili ferè ratione horum affectuum causas submovere conatur natura; prout, scilicet, vitiosa quævis materia, has vel illas partes obsidens, per emunctoria commoda viásque peculiares eliminari potest.

At, si natura illiusmodi operæ impar fiat, ipsa protinus succumbit; utrùm id accidat, propterea quòd debiles sint nixus, aut quòd copiosius, crassiúsve vel viscidius sit id quod peccat, aut etiam facultatibus exitialibus dotatum; sive, itidem, quòd mali aliquid delitescens fixum hæreat, impediátque, quò minùs feliciter cedant ejusdem conamina: Ac, dein, vel insequitur lethum, vel aliud valetudinis incommodæ genus, unde non raò diuturna infirmitas nascitur, quæ vix unquam solvenda est.

Atqui, ex adverso, modò eadem successu non careat, frequenter sanitas, igne jam probata, reverti, atque exinde magis confirmari solet.

C a p. IX.

De analogia eorundem ratione ſedis partiumque aut organorum exinde læſorum..

QUOD ad morborum ſedem attinet, ubi imprimis cauſæ horum reſident, analogia conſpicitur, eò quòd ad partes reſpirationi inſervientes, ijſdémve conjunctas ea referri poſſit; aut, ſaltem, ad eaſdem, quæ ipſis emunctoriorum vices ſuſtinent. Id quod patet in affectibus, ad prius hujuſce ætatis ſtadium pertinentibus: Patet etiam in prioribus iſtis, ſecundæ claſſis. Ambigitur, verò, de lethargo & phrenitide, uti & bilis ſurſum deorsúmque rejectione.

Attamen in lethargo reſpirandi organa maximè premi ſolent; atque exinde fit * reſpira-

* Ægin. L. III. c. 9.

reſpiratio nimis rara atque imbecillis : Sicut phreniticis, * *reſpiratio magna & rara, cùm cerebrum primariò afficitur. At, ſi phrenitis ſepti tranſverſi, quod Græci phrenas vocant, conſortio concitetur, & reſpiratio inæqualis eſt, & præcordia ſurſum convelluntur, & multo calore ardent : Sicut ijs, qui ex cerebri vitio inſaniunt, facies incaleſcit, & ſubcruenta eſt, venæ repletæ.*

Jecur, unde bilis effluit, juxtà ſitum eſſe tum demum habendum, quum de conjunctis reſpirandi organis ſermo inſtituatur. Ex ijſdem, ſanè, fontibus ortum frequenter ſumunt profluvia iſta ventris inferioris; cujus glandes inter alia pulmoni pro excretorijs inſerviunt ; ac, per quas, quantumvis ulceratas, ſanguis cum torminibus profunditur.

Sanguis, itidem, per vaſa hæmorrhoïdalia excernitur, non ſine manifeſto partium reſpirationi dicatarum levamine ; ſicut, è contrà, ſupprimitur, non ſine earundem gravamine, aut oppreſſione.

* Ibid. c. *6.*

Hiſce

Hiſce perpenſis, talis affectuum hujus ætatis analogia apparet; ut ſedes ipſa hiſce fiat, quæ ſentiendi ac ratiocinandi, perinde atque ſpiritum ducendi organis, vitæque ipſius fontibus, proximè licèt ab hâc vel illâ parte, adjacet: Qualia, ſcilicet, ſunt cerebrum, præcordia, jecur & inteſtina; quæ primariò ad vitam ſenſúmque ſuſtentandum conducunt, aut ad excernenda ipſis infenſa, apta nata ſunt. Idcirco, rariùs morbi mediocres hoc ævi ſpatio infeſtant, niſi eaſdem naturas, quæ nerveis affectibus obnoxiæ ſunt.

Quapropter, ſedes morborum conjunctim cum partium organorúmque læſione conſideranda eſt: Adeò ut ſanguis, quando quis expuat, non ſine vaſorum aut ruptione aut roſione in mentem veniat. Quomodo ad pulmonem refertur, qui hinc lædi poteſt; cujus itidem partes frequenter abſcedunt.

Unde ultimùm tabem fieri non alienum eſt. Ad eundem, itidem, modum tabes ipſa, abſceſſu non ſanato, progreditur.

tur. In quo genere periculum notandum eſt, quod inſtat, viſcere nobiliſſimo læſo, quo, ut vita conſervetur, integro opus eſt.

Ita etiam ſe res habet in febribus acutis, ad quas pertinet ſanguinis motum inordinatum reprimere : Quod quidem fieri vix poteſt, niſi ad ſedem fomitis, ipſiúſque vitij remotionem reſpiciatur. Id, verò, fluitat frequenter per ſanguinis rivos, at præcipuè ex viſcere quodam, glandibúſve obſtructis, emanat.

Deinde, in morbo comitiali, ſyſtematis totius nervoſi ratio habenda eſt, quod graviter in quibuſdam, in alijs (quod ſæpius accidit) leviùs læditur. Cujus igitur initia intueri oportet ; quoniam tantum ſubeſt periculi, quando confirmetur in mediá ætate, ipſáque ſentiendi organa dehinc lædantur.

Eodem planè modo & ætate conſtanti res habet ; ſi quando anhelus quivis fuerit, illud omnino indagandum, quò uſque partes reſpirationi inſervientes lædantur, vel infirmentur ; atque utrùm lentus duntaxat

at ſanguis in causâ ſit, cur circulatio intra debitos temporis terminos impediatur, & quare craſſa ibi hærens materia tubulos minutiſſimos facilè pervadere nequeat.

Idem etiam in pleuritide conſiderandum, quamprimum dolor lateris urgeat; ubi omni arte pugnandum imprimis, ne ad abſceſſum res recidat, ulcúſque ſuboriatur.

Nec non eâdem ratione in peripneumonijs cogitandum; quibus protinus ſuccurrendum, ipſis mali initijs; Quoniam diu id oneris impune ferre nequeunt reſpirandi organa. Idem ferè lethargicis periculum, ex organis ſentiendi atque reſpirandi affectis, imminet: Quibus ſanè idipſum majus adeſt, quò minùs intelligitur, ex ægrorum in ſomnum propenſione; à quo abeſt querimonia, aut ſaltem qualis morbo tam gravi conveniat.

Quorum igitur interſit, omnia vel leviſſima notare indicia, neque acceſſionem quamvis, ubi dormiendi urget neceſſitas, etiamſi eâdem remittente minimè premat, levis momenti æſtimare. Quin & phreni-

tis

tis nunquam tuta habenda eſt, licèt extra acceſſionem æger reſipiat, ac ejuſdem tunc temporis immunis evadat.

In febri, autem, ardenti, ubi totus ſanquis flammas concipit, metus eſt, ne vaſa continentia celeriter abſumantur.

In alvi profluvijs diuturnis ad ipſas partes, unde ortum ducunt, ſpectandum; quippe quibus exolutis, vires inſitæ lentè depaſcuntur; indéque graves naſcuntur morbi, qui vitam finire conſuêrunt.

Hepatis, ſanè, in choleris morbis rationem perpetuùm habere par eſt, tanquam onus ſuſtinentis, quod ſi non citiſſimè levetur, vita brevì cum morte commutanda eſt.

Porrò, in dyſenterijs, non ſolùm de acrimoniâ ſanguinis, quâ vaſorum ora rodit, ſed & de locis, unde prorumpit, cogitandum: Quoniam, hâc portâ jam apertâ, dolores adeò immanes ſæviunt, ut vix quicquam levaminis ſpèrandum ſit, donec vim frangere poſſint, quæ demulcendo leniendóque paria deprehenſa fuerint.

Quum

Quum tandem eò infirmitatis processerint intestina, quale lientericis accidit, ut muneribus eadem suis prorsus imparia fiant; vix aliquid dubij restat, quin ipsa secernendi organa inibi sita lædantur.

Denique, fæculentus iste sanguis, qui per hæmorrhoïdas excernitur, frequenter ex partibus superioribus, iisque quæ ad respirationem pertinent, defluit. Quapropter, ad hasce itidem respicere oportet, quisquis hæmorrhoïdas curare instituit.

CAP. X.

Quibus notis iidem affectus internoſcuntur.

POSTQUAM cognationem ſive affinitatem morborum, qui huic ætati præcipuè accidunt, viderimus; non abs re erit etiam ſingula notatu digniora exquirere, unde diverſitas ac diſſimilitudo naſcatur; quò certiùs iſtorum natura aperiatur, atque, inde ad malorum propiùs fontes accedere liceat.

En, igitur, affectûs genus, quod primo intuitu neminem latere poteſt, ſanguinem, ſcilicet, ex ore exeuntem: Is, verò, exit tanquam * effuſus, ſive per ſputum. Dein,

* Differt *fluor* ſanguinis à *ſputo: Parvam* enim materiæ ſignificationem ſputus refert, fluor *plurimæ*. Cæl. Morb. Chron. L. II. c. 9.

ſangui-

ſanguinis ſputum interdum cum alijs ſymptomatibus, qualia ſunt dolor & tuſſis, conjungitur.

Quæ, quum toto cœlo ſecundum cætera differant, ſecernere operæ pretium erit: Idque, quoniam hæc diverſitas non multùm ferè ab illâ abludit, quæ inter congeneres cernitur; quorum quidem facies formam, etiamſi non eandem, non tamen prorſus alienam gerat. Quemadmodum ſanguinis ſputum, quod fluxui per hæmorrhoïdas nonnunquam reſpondet, faciem non longè ab aliâ diverſam induit, quæ tabem præcedit, eidémque cognata eſſe ſolet. Attamen, longè alia natura eſt hujus atque illius; longéque aliter habent res ægrorum. De quâ re Paulus; * *ſi hæmorrhoïdes non reſponderint, etiam periculis, erumpens ſanguis ſubtrahet. Quæ, verò, exeſis vaſorum tunicis ſanguinis fit evacuatio, nunquam commodè cadit.*

Proinde, non modò de facie nôſſe medici eſt, ſed & ultrà progredi, donec ad eadem

* L. III. c. 31. verſ. Guinter.

deventum fuerit, quæ indices ſunt generis, ad quod peculiari jure pertinent.

Propterea, ad vaſa attendere monent autores medici, unde * *ſanguis exit ; qui modò ex gingivis, modò ex ore : Et quidem ex hoc, interdum etiam copiosè, ſed ſine tuſſi, ſine ulcere, ſine gingivarum ullo vitio ; ita ut nihil exſcreetur.*

Verùm, ut ex naribus, ſic ex ore aliquando prorumpit. Atque interdum ſanguis profluit, interdum ſimile aquæ quiddam, in quâ caro recens lota eſt. Nonnunquam is à ſummis faucibus fertur, modò exulceratâ eâ parte, modò non exulceratâ, ſed aut ore venæ alicujus adaperto, aut tuberculis quibuſdam natis, ex hiſque ſanguine erumpente.

Ubi, ſanè, analogia quædam conſpicitur inter † *ora venarum* hæmorrhoïdalium *tanquam capitulis quibuſdam turgentia, quæ ſæpe ſanguinem fundunt*, atque hæc ipſa tubercula, quæ ſimiliter ſanguinem fundunt. ‡ *Quod ubi incidit, neque lædit potio aut ci-*

* Celſ. L. IV. c. 4. † Celſ. L. VI. c. 18.
‡ Idem. L. IV. c. 4.

bus,

bus, neque quicquam, ut ex ulcere, exſcreatur. Quapropter, hujuſmodi ſanguinis ſputum nihil in ſe mali complectitur. * *Imò, contrà, levius faciliúſque agent (ut veriſimile eſt) evacuati.*

Cavendum, interim, ne nimia ſit vacuatio: Quoniam, † *ſi inter hæc quoque graviter erumpit, conſumere hominem poteſt.*

Quinimo, ut pleniùs, pro rei momento, hoc ipſum exponatur, locum integrum Cælianum huc transferre fas ſit; ‡ *Iis, igitur, qui ex ſupernis faucium ſanguinem fluunt, primò parvus intelligitur ferri, aut, ſi plurimus, non ſpumoſus. Præterea, cum quodam exſcreatu deſpuitur; ipſæ quoque partes, ſumto cibo vel potu, aut gargariſmate mordicantis materiæ, dolore pulſantur, & inſpicientibus nobis, expreſſâ linguâ, viſu locorum probatur aſperitas.*

Plerumque etiam, ut Eraſiſtratus ait, tubercula, quæ Græci condylomata vocant, viſi-

---

* Ægin. L. III. c. 31. vert. Guint.

† Celſ. L. IV. c. 4.

‡ Morb. Chron. L. II. c. II.

bus occurrunt, quæ ſunt ſimilia hæmorrhoïdis, ex quibus ſanguis fertur.

Videlicet, hi ſunt fines, citra quos morbus iſte conſiſtere poteſt; at, ſi ultra eoſdem quid ſuperveniat, quale eſt calor, tuſsiſve aut dolor, (aliter quàm ejuſdem meminit Cælius) affectus iſtiuſmodi jam tabis cæterorúmve confinium morborum pomœria tranſit.

Rurſus; illud tabis genus, * *ubi ſumma macies oritur*, primâ facie videmus; quippe cui hactenus conveniat cum tabe, de quâ hîc loci agitur, quam Græci φθίσιν nominant.

At verò, exulceratione, febre hecticâ, tuſſiculâ vacat æger; neque pus exſcreat.

Imò, in phthiſi, † *quicquid exſcreatum eſt, interdum pus, interdum cruentum aliquid, ſi in ignem impoſitum eſt, mali odoris eſt. Itaque, qui de morbo dubitant, hâc notâ utuntur.*

---

* Celſ. L. III. c. 22. † Idem, L. III. c. 22.

Item

Item * *in aquam mittunt ægrotantium sputamina*, quæ quidem *subsidunt*. Quibus sanè notis phthisis Græcorum, à tabe in genere, secerni potest.

Tertio, febri acutâ laborantem intuemur; ubi febris vel continua est, aut qualis se intendit, & remittit. Interim, hecticæ genus est, quæ † *cùm statim ab initio invadit, primam originem diarijs similem, ex mœrore, irâ, lassitudine majore, unà cum exustione in sole, sortita est.*

Hæc absque dolore consistit, &, qui eâ detinentur, nequaquam febricitare se existimant: Neque enim calorem percipiunt, cùm universæ ipsis particulæ in universum excalfactæ sunt. Hisce, igitur, cognitis, facilè febris acuta, ab hecticâ, dignoscitur.

Quartò; Comitialium accessiones, pariter atque febrium quarundam acutarum, habent; ac postea, remissiones: ‡ *In qui-*

* Cæl. Morb. Chron. L. II. c. 14. † Ægin. L. II. c. 32. vert. Guint. ‡ Ægin. L. III. c. 13. vert. Guint.

bus acutissimus est affectus, qui statim jugulat, & accessionum continuatione, & symptomatis vehementiâ. At eximia, peculiarisque admodum nota existit, oris spuma.

Aliter, ab incubone, non nisi gradu differt comitialis; unde & vulgo accessiones hujus, insultus dicuntur; qui magis propriè ad illum referuntur: Eâ scilicet de re, * *quòd hoc malo correpti ceu insilientem aliquem imaginentur. Quæ enim comitiales interdiu, eadem ephialtici noctu patiuntur.*

Neque etiam lethargo per omnia similis est comitialis morbi accessio, propter febrim, quæ etiamsi illi, minimè tamen huic conjungitur. Quapropter, Cælius † de lethargo scribens, quemadmodum nonnulli diffiniunt; *si cum febribus esse non adjungerent*, inquit, *communis esset cum epilepsiâ diffinitio.*

Progrediendum hinc ad alterius classis morbos; quorum primo, scilicet anhelationi, consimiles sunt, hinc spirandi difficul-

* Ægin. L. III. c. 15. † Acut. Morb. L. II. c. I.

tas,

tas, illinc orthopnœa. Aſt à priore quidem ſatis notis ſequentibus ſecernitur: * *Siquidem anhelatio cum ſtridore atque præfocatione aſperatur*; & ab orthopnœâ; ſiquidem hæc, *cum thoracis everſione atque ſingultu, aliquando etiam cum ſanguinis fluore. Hæc itidem ſecundum aliquos magnitudine diſcernitur.*

Rurſus, differt anhelatio à peripneumoniâ, † *quòd neque cum febribus neceſſariò fiat, & ſemper tarda eſſe videatur.*

Pleuritidi ‡ *neceſſariò febris adeſt*, eáque acuta, ut & dolor, *qui* ** *punctorius eſt*; quibus ab anhelatione ſecernitur, quæ frequenter *†* pleuritidem conſequitur.

Lethargus ad phrenitidem tam propè aliquando accedit, ut †*† *complexæ duæ paſſiones videantur.*

Ac, prout fines utrique affectui adjacent, nonnunquam alter in alterius ditionem tranſ-

* Cæl. Morb. Chron. L. III. c. I. † Idem ibid. ‡ Cæl. Acut. Morb. L. II. c. 13. ** Ægin. L. III. c. 33. *†* Cæl. Acut. Morb. L. II. c. 14. †*† Cæl. Acut. Morb. L. II. c. 3.

it : Quî fit, ut *aliqui, alienatione mentis recedente, pressurâ lethargicâ tententur. Tunc etiam pulsus humilior ac densior fit. Aliqui denique è lethargo liberati, absolutam phrenitin incurrunt.*

Cholera, * autem, *similis ac vicina est diarrhœa ; si ventris fluor fuerit, rursum vomitu non attestante, appellabitur diarrhœa : In cholericâ verò passione utrumque concurrit, hoc est, vomitus ac ventris fluor.*

Dysenteriam † *appellant cruentam, cùm multum sanguinis seorsim excernitur.* Est etiam, ubi *ab exulceratione intestinorum, cruenta stercori commista dejici cum dolore & torsionibus cernuntur ; uti etiam, ubi syncerum stercus descendit.* Interdum & *ejusmodi descendunt, ut recens in eis caro lota esse videatur. Atque hanc jecorariam vocant dysenteriam.*

Lienteriæ duplicem esse speciem docet Paulus ; ‡ unam *sanè ex superficiariâ intestinorum exulceratione, secundum quosdam verò*

* Cæl. Acut. Morb. L. II. c. 19. † Ægin. L. III. c. 42. vert. Guinterio. ‡ L. III. c. 40.

etiam

etiam ex cicatrice; quam dysenteria magnâ ex parte, vel aliæ fluxiones excitant: Alteram, ex facultatis cibum in ventre continentis imbecillitate: Secundam opinor (ait ille) *differentiam cum cœliacâ dictâ affectione commisceri confundique. Etenim in hâc, cùm venter præ imbecillitate nequeat cibos & concoquere & distribuere, lævia, cruda & perliquida redduntur, alvo in omnibus fluidâ.*

Verùm, in Lientericis celeriter, quæ assumta sunt, egeruntur; támque intensa est cruditas, ut alimenti assumti genus apertè cognoscatur. Atque hâc notâ potissimùm à Cœliacis discernuntur.

Hæmorrhoïdes * *quædam superiùs existunt, non apparentes. Cæcæ autem nihil excernunt, sed dolorem movent acriorem.* Proinde obcæcatis sanguis non manat; unde, eodem impedito, interiores intestini partes sæviùs dolere consueverunt.

* Ægin. L. III. c. 59.

C A P.

Cap. XI.

De affectibus hujusce ætatis medendis.

De primo medici munere, quod in morbis internoſcendis verſatur, ſuprà agebatur; nunc diſpiciendum, quali ratione adhibere par ſit remedia; quò auſpicatiùs, malis è medio ſublatis, ſanus corporis habitus redintegretur.

Quocirca, illud ante omnia ſervare licet; quòd, niſi temporì hoc operis inceptum fuerit, incerti plerumque exitûs futurum ſit; ídque propter vehementiam in ipſis ferè affectibus notatam. Unde ſatius eſt, res ægrorum tanquam ancipites habere; &, donec conſtiterit, à naturâ vim morbi poſſe vinci, hærere, atque felicem minimè even-

eventum promittere, omnino experti ac non incauti officium eſt.

Profectò, tot ſunt rerum diſcrimina, per quæ vehementes tranſcurrere conſuêrunt affectus, uſque dum ad judicationem laudabilem perventum fuerit ; quæ quidem ſagacitas difficilibus iſtis ſatis exercita penitus perſpicere tandem addiſcit ; quot evincant, quàm ineptè de futuris, tanquam præſentibus, ſententia, feratur.

Proinde, ante omnia tutius videtur de ægris talibus cogitare, tanquam graviùs, quàm res ipſa cumprimis loquitur, laborantibus : Idque, ne leviora, aliquatenus neglecta, in graviſſima ultimùm deſinant. Siquidem ita res habet, ut, ſub levioribus primùm viſis, frequenter deliteſcant peſſimæ notæ mala : Quæ, deinde, non intellecta obrepunt, ſubitóque veram ſpeciem induentia ex improviſo opprimunt.

Quocirca, magni eſt momenti ex veritate, non ex aſtantium opinione, morborum gravitatem æſtimare : Quî fiet, ut liber medentis animus rem ipſam, qualis ſincerè

ſincerè ſit, apertam cognoſcat; útque, nec metu omnium in deterius ruentium eò uſque præoccupetur, ut præſentia minimè adhibeat remedia; nec ſpe meliorum inani erigatur, adeò ut impræſens efficacia omittat, atque intempeſtivè in craſtinum, inſtantis diei opus, differat.

Ut, verò, quæ ſit morbi conditio, accuratiùs dijudicetur, utile Cælianum * hoc futurum eſt; *Illud ſemper in ægritudine magis afficit, quod à naturâ plurimùm receſſerit.*

Quod, ſanè, quamvis autor laudatus ad phrenitidem privatim accommodet, in univerſum tamen ad morbos reliquos æquè pertinet: Quippe quibus indoles eſt, novum atque alienum à naturâ morem inducere; quí ideo ab eâdem longiùs abeſt, vel propiùs ad hanc accedit; quò major minórve ſit affectûs vis; quóque latiùs vel anguſtiùs iſtius imperium ſuper vitæ ſenſûſque fontes proferatur.

Itaque, ex hiſce moribus, quibus naturæ vis inferri ſolet, nonnulli magis, nonnulli

* Acut. Morb. L. 1. c. 3.

minùs

minùs exitiales ſunt : Inter quos hi moris mali eſſe dicuntur ; prout iſti, peſſimi, qui ad perniciem certò, niſi perdomentur, mortales devocant. Hoſce, interim, atque iſtos perpetuò notat ille, qui aſſiduo bonis ægrorum conſilio proſpicit, &, veluti gubernator expertus, iſtiuſmodi tanquam brevia aut ſyrtes explorat ; quæ, dein, quantum in ſe eſt, devitat.

Quin, & ex repetitis ejuſmodi caſibus, favente ingenij ſolertiâ, fit oculus ille medici peritus, qui * *in vitijs* morborum *tam acutum cernit*, quàm (quod exinde in proverbium abijt) *ſerpens Epidaurius* ; quíque unico penè obtutu eadem *mala pervidet.*

Quomodo ſubinde accidit, ut iſtorum opera, ſubtilitate ſuâ celata, retegere, ipſorúmque vim minantem tempeſtivè eludere queat.

---

* Horat. Sat. III. Notiſſima eſt anguis hiſtoria, peſtis tempore, Epidauro Romam tranſvecti, cujus ſub ſpecie Æſculapij numen præſens eſſe Romanis videbatur: Unde & natum eſt Proverbium.

Ad hæc accedit, affectionis ipsius morem nôsse, qualiter ea habet, quum felicissimè evenire soleat: Quoniam, siquis eundem perspectum habeat, normæ instar eidem observanti futurum est; à quâ, quandocunque vel minimùm deflectat morbus, mali aliquid subesse denuntiet.

Hinc, autem, frequenter evenit, ut, quæ medicum terrent, qui ægroto noti sunt, hi negligant. At verò, minutissima esse solent symptomata, ex quibus rite perpensis periculum imminere colligitur. Neque enim ægri salus in vehementibus morbis, ex hisce, quorum magnitudo apparet, qúæque mentem ferè rudium atque inexercitatorum fortiter percutiunt, intelligitur; verùm ijs, qualia, crassâ minervâ reputantes, vix observata præterlabuntur, ast, pectori erudito subjici consuêrunt.

Quædam, autem, diversitas in morbis observatur, eò quòd vehementibus natura diutius obsistere non valeat; quî exinde evenit, ut vel remissuri sint isti, aut, *si* * *ita*

* Cels. L. III. c. I.

ut

ut cœpêre, continuant, breves acutíque fiant, qui citò vel tollunt hominem, vel ipsi citò finiuntur.

Propterea, in hiſce morbis acceſſiones & remiſſiones perpetuùm videre eſt, ubicunque diuturni ſunt: Donec natura ſæpe viam aperire, quâ vitioſa exeant, annitendo, vel eam tandem inveniat, vel ad tempus à vitæ ſenſûſque vijs ſpatioſis ſaltem ſubmoveat; ibíque reponat, ubi, etiamſi itinera vitioſo humore repleantur, vitæ tamen functiones non ſtatim lædi ſolent.

Quin & ea naturæ lex videtur, ut, dum in hoc negotio occupatur, vitæ priùs, deinde ſenſûs organa tueatur: Unde, qui eandem imitantur, horum conſilia illuc diriguntur, ut antè, vitæ, quàm ſenſui, nocitura dimoveantur.

Ubicunque, verò, æger de vitâ periclitetur, protinus eidem auxilijs præſentiſſimis ſuccurrit medicus; ac, dein, ad noxia quævis ſepoſita eliminanda feſtinat; eâ nimirum ratione, atque ordine, quem à naturâ, ſui conſervatrice morborúmque domitrice, monſtratum noverit.

Qua-

Quapropter, quid natura faciat moneátve, advertere minimè ſpernendum eſt conſilium, quum ad ea inveſtiganda ventum fuerit, quæ utiliter adhiberi poſſint ad morbos profligandos, ſanitatémque, ijs ſuperatis, ſtabilem inſtaurandam.

Neque aliter res habet, quando delectus utilium inſtituendus eſt, utrùm hoc vel illud magis profuturum ſit ; propterea quòd aliàs atque aliàs ſe convertet ægri natura, pro vi, quam paſſura eſt, aut lenimentis, quibus demulcebitur.

Veruntamen, fatendum, naturam ægritudine depreſſam, ac ferè obrutam, non tam clarâ voce eloqui, nec tam facilè intelligi, quàm eandem integram adhuc exiſtentem : Quippe cujus indicijs tunc temporis minùs fidendum, minùs obſequendum, quum jam ipſa morbida, elanguens ac luctâ inæquali impedita, potiùs irrita edit ſigna, inaniáque ſine mente profert ; quàm quando, ſui ipſius quondam vegetæ nutúque ſuo omnia recta indicantis, munia obiret.

CAP.

Cap. XII.

De sanguinis spuitione medenda.

SI sanguis ore exeat, sincerus vitióque carens, nec sine levamine, nullo, præter quietem, remedio opus est; ídque solummodo, ne per portam jam patentem, ultrà quàm oportet, effluat. Siquidem hâc lege sanguis communiter cum alijs laticibus circumfluit, ut, etiamsi optima ejusdem conditio sit, modò vis quædam accedat, qualis non potest non inferri, dum huc illuc agitetur homo, largiori ipse profusioni obnoxius esse soleat. Tum, verò, fluxus iste copià peccare tandem potest.

Quòd si nihil aliud in causâ sit, præterquam quòd sanguinis jam nimia copia effusa fuerit, qui tamen adhuc effluit, vix quicquam periculi imminet, ideóque non

nisi levi & ipsum auxilio eget. Quare, * *commodissimum est impetum sanguinis, admotâ occipitio cucurbitulâ, sic ut cutis quoque incidatur, avertere.* Simul & cibis potionibúsque ex materiâ imbecillissimâ utendum; &, si opus sit, aquis de hisce fontibus, quæ celeriter per alvum descendunt.

Alterum, dein, est, ubi sanguis vitiosis admistis tanquam susus diffluit; & ubi, postquam nimium jamjam profusum fuerit, sanguinis ultrà mittendi vix locus videtur. Tum, verò, tempestivè in mentem revocanda, quæcunque medicamina sanguinis fusioni obsistunt, atque, interim, minimè calfaciunt. Cujusmodi sunt, quæ ardorem sanguinis feliciter restinguunt, non tamen acri quâdam aut adurente facultate prædita sunt; quæ nec flammas concipiunt, neque liquores in se inflammabiles retinent. Interea, procul à cibis potionibúsque absint generosi succi, nedum ardentes, rodentésve; longissimè omnium, igneis viribus dotati. Victus, verò, ex infirmissimâ confletur materiâ.

* Celf. L. IV. c. 4.

Quæ,

Quæ quidem probè ſervata, modò alvus reſponderit, hunc ſanguinis per os effluxum meliùs ſupprimunt, quàm mille adſtringentia; quæ, ſi quod promittitur, efficere valerent, multò magis forent vitanda, quum ipſe ſanguis vitia ejuſmodi contraxiſſe videatur.

Tertium, autem, conſiderationem meretur; ubi ſanguis ex tuberculis, hæmorrhoïdum ritu, erumpit: Quoniam & iiſdem malis, ſi inſcitiâ ſupprimi contigerit, ſcatet, qualia meritò fluxui hæmorrhoïdali ſuppreſſo imputantur.

Quo in genere feſtinant nonnulli, ſanguinem ex venâ quâlibet liberiùs detrahere; imo &, ſi æger adhuc non ſe malè exinde habere ſentiat, opus repetere. Unde quidem, naturâ ſubinde fatiſcente, fæculentum iſtud onus in viſcera nobiliora transfertur. Ecce, autem, omnia jacent confuſa; novíque hinc morbi oriuntur; mali habitus cum phrenitide conjuncti; morbus intercutis cum ictero; aut mali moris febres cum diarrhœâ, aut etiam

dyſenteriâ, invadunt. Pulmo dehinc anhėlus; tandémque tabe confectum corpus, hâc ratione morbos minimè curandos, prædicat.

Naturæ ſanè ipſius opera ſatis varia ſunt; attamen tam ordinata, ut ars ijſdem remedia accommodare nôrit, ſiquando ordo ejuſdem non penitus turbetur: At, ſi totus inverſus fuerit, næ arte quâdam ſupra humanam opus eſt, ut talia in ordinem priſtinum redigantur. Veruntamen, plurimùm ille adverſum morbos valebit, quiſquis cavet, ne naturæ monita ſive indicia incuriâ, ſemet alia attendentem, fugiant.

Hunc, ergo, effluxum non ſtatim ſiſtere expedit; verùm eundem, qui huic reſpondet, promovere; ut deorſum inclinet ſanguis fæculentus; atque exinde leniter alvum ſubducentia, amaritudine imprimis non deſtituta, adhibere. Quæ quidem viam aperiunt, per quam recrementa iſtiuſmodi, ſanguinis rivos occludentia, ex naturæ legibus eliminentur.

Interim,

Interim, nec ſanguinem ipſum negligenter tractare convenit; neque vitioſa eidem commiſta, inibi hærentia diutius ſinere; at, à quibus eadem cauſis pendent, hæc ſedulò perſcrutari, totiúſque ita curam inſtituere, ut hæcce ſanguinis vacuatio bene cedat; atque, ut non ſolùm pulmoni, ventríque bene ſit, ſed & capitis uſque ſuperiora, per hæc itinera, quæ commodiſſima ſunt, repurgentur.

Ad hunc, certè, modum ſiderationes in ſequenti ætate, cujus fontes ex hâc ipſâ ſæpenumero exoriuntur, nec ſoli hujuſce ætatis morbi, vitantur.

Imò, nec majores ſolummodo affectus ſic arceri ſolent, verùm & minores iſti generis nervoſi, qui animum ſæpe ſolicitudine inani priùs inquietant; dein, ordinem ſentiendi jugiter infeſtant, nonnunquam etiam turbant, atque omnino evertunt.

Quinimò, fruſtrà queruntur ægri, ſe atrâ bile laborare, vitámque dehinc infeliciter tolerare, ſi naturæ morem gerere recuſent.

Ea, enim, eſt ægritudo, cui ipſos eripere, hujus tanquam emunctorij operâ, conantur medici; qualis, gratiſſima vitæ munera ſpernere, atque, quaſi vivere indignum eſſet, immaturè decedere, eoſdem cogit; propterea quòd, mente alienatâ, nihil ipſis male perpetuùm habentibus placeat.

Quod quidem vitæ faſtidium in cæteris animantibus ideo videre non eſt; quoniam in hoc morbo, omnia, quæ ſecundum naturam conſtituta ſunt, turbata eò uſque cernis, ut prima ejuſdem lex ſui ipſius conſervatio, ſúſque déque, ab ipſis atro craſſóve ſanguine laborantibus, habeatur.

Quartò, ſanguis interdum ore exit, comitante febri; qui ideo ſiſtit, ac per febris circuitus recurrit. Cui quidem auxilium ex ſanguinis, venâ ſectâ, miſſione, nec injuriâ, laudatur. Ubi & vitium facilè hâc viâ tollitur; utpote quod in ſanguine lento inſideat, atque frigore repentino natum ſit. Proinde, ſanguine copiosè per vices detracto, febris itidem proprijs remedijs arcenda: Quæ, dein, adhibito cortice, qui ex Peru, regione Americanâ, ſuperiore ſeculo

culo primùm advectus, nomine Kinkinæ inclaruit, adeò profligari potest, ut non, nisi recente aliquâ datâ causâ repullulet, reverti soleat.

Quintò, siquando sanguis tanquam exulceratis exit faucibus, partibúsve superiùs sitis, ineuntis mox tabis suspicio est: Quam proinde depellere omnibus armis oportet; sanguinem statim ad paucas detrahere uncias expedit; neque unicâ vice solâ, verùm frequenter, interjecto aliquot dierum, pro ægri viribus, spatio repetenda est sanguinis missio. Quæ, quidem, tempestivè adhibita, subinde & sanguinis sputioni medetur, hominémque flammis, quibus aliter intabesceret, eripit.

Ulceri, itidem, quæ sanando sunt, hujusce generis sputo subveniunt; sicuti &, quæ acria perdomant, præcipuè qualia sanguinis fervorem restinguunt. Usu, enim, illud constat, neminem, dum febris accenditur, quâcunque de causâ id accideret, tutum pronunciari posse: Imò & verissimum est, ubicunque febrium vis penè latet, quasi ignis cineribus obrutus.

Cujus, propterea, hîc loci mentionem facere videtur; quoniam tabes ista, quæ pulchritudinem hominum vigentium, eorúmque præsertim, qui suavi colore insigniuntur, ex parvis, iisque, qualia sæpissime non tam se prodant, ut oculo minùs perspicaci patefiant, initijs ortum ducens aut non observatur, aut, tanquam minùs efficacium ipsis primordijs egens remediorum, levioribus permittitur. Idque præcipuè accidit, eò quòd altiùs isthæc frequenter radices egerit, priusquam ægrorum familiares morem ipsius, qui jam inolevit, nôssent. Hoc autem vitij tegitur propter febrim istam lentam, quæ interdum vix agnoscitur, ast pro malo solùm habitu reputari consuevit, usque dum viribus adauctis ac collectis in flammas tandem prorumpat.

Cap. XIII.

De Tabe medendâ.

INEUNTE tabe, quando tussis cum febri oboriatur, sanguine mox detracto, ulceribus omnino convenientia adhibere oportet: Nec non & ardorem restinguentia commoda; qúæque contra tussim pugnant, ac præterea inflammationibus subveniunt.

Ulcera autem difficulter sanari consuevêre dum acria sanguini immista, vellicantia sensûs organa rodentiâve, in eadem jugiter deferantur. Quare, latices præcipuos bene & leniter habere oportet, antequam in spem ulcera sanandi medicus inducatur.

Communia quidem hæc frequenter sunt ulceribus pulmonis cum ijs, quæ in alio aliquo

aliquò viſcere nobiliore ſita ſunt; modò ſaltem tam gravibus eſſe contingat, ut eò uſque ſanguinem afficiant. Verùm id quoque ex parte pulmonis hiſce ſupervenit, ut ulcera ejuſdem non tam commodè agglutinari poſſe videantur, propterea quòd perpetuò ipſe per reſpirationem huc atque illuc diducatur.

Peculiaria, verò, maximè videntur eadem, quæ facultates naturales, jam nimis exuſcitatas, minimè exagitant. Hinc, regimen calidum prorſus fugiendum, ut & ea omnia, quæ mentem commoveant; quales quidem ſunt animi perturbationes; hinc, amor iráque, & nimia fiducia; illinc, mœſtitia, animíque dejectio & deſperatio: Illis, ſanè, frænum injiciendum; dum hæ, futuri ſucceſſûs, feliciúmque inde enaſcentium ſpe, non ſine ratione præalantur. At, nec his, neque illis deneganda eſt quies; qui ideo nec inſomnes tranſigant noctes, neque negotijs diurnis ſeſe dedant; néve curis inanibus, nedum mordacibus, torqueantur.

Denique,

Denique, quæ robur gradatim, & quatenus natura cujusque placidè ferat, conciliant, eadem omnia adhibere æquum est; sicuti, quæcunque ad ævum leniter traducendum conducunt, ea sanè tabis, de quâ hîc loci disseritur, remedia generatim efficacia esse solent.

Ut, autem, specialia etiam non omittantur, tussim lenire, uti & febrilem ardorem restinguere, ac inflammationem arcere expedit sorbitionibus, quæ ex succis * strobilorum, amygdalarum, ac lini semine emulgeantur.

Lac, itidem, asininum in usum ducere eâ copiâ haud alienum est, quâ æger facilè ferat.

Nec non, modò nihil prohibeat, quæ sputum modo naturæ morbi convenienti moveant, id genus medicaminibus, quæ tussi delendæ sunt, conjuncta, ad ulcera ista consolidanda, ac fundamenta dehinc jacienda, quibus positis sanus corporis totius habitus revertatur, utilissima videntur.

---

* Cæl. Morb. Chron. L. II. c. 14.

Cap. XIV.

De Febribus acutis medendis.

FEBRIS acuta fieri poteſt quando alimenta boni ſucci ſupra modum ingerantur; quibus, ut in chylum rite elaboratum abeant, haud ſatis temporis detur, quo confici queat, atque in ſanguinem purus tranſmittatur: Unde quidem minùs ſubactus, pleniore rivo in ſanguinea vaſa defertur; ibíque (cœlo favente) efferveſcere aptus videtur; ſi quidem talis effervefcentia non aboleatur laboribus, aut exercitatione commodâ, ullóve alio modo, quo utitur natura ad ſuperflua ejuſmodi excernenda, ardorémque reſtinguendum; ídque, dum ipſe ſanguis per ætatem facilè flammas concipit.

Interdum, autem, quæ malo abundant ſucco admiſcentur, qúæque impediunt, quò

quò minùs conficiatur chylus, ac, dein, in ſanguinem ſincerum convertatur.

Præterea, addi poſſunt &, quæ chyli conficiendi facultates evertant, faciántque, ut ex lacteo ſucco in ſerum coagulúmque tranſmutetur; atque ex dulci, in acidum, acrem, ardentémve laticem corrumpatur. Coagulum, autem, iſtud interdum plura rerum genera complectitur, quæ in viſcoſa coëunt, hæréntque canaliculis, ita ut maſſa ejuſmodi ægrè dimoveatur; ac in cauſâ ſit, cur ſanguis circulum difficulter per hæc loca abſolvat.

Interea, chylus jam vitioſus, in ſanguinea vaſa dilapſus, laticibus antea puris id vitij tradit: Ad quæ ſi illud accedat, ut meatus cutanei, propter aëris inclementiam, munia ſua obire nequeant; id operis, ſolvendi ſcilicet hanc infenſam motui ſanguinis maſſam, aggreditur natura, eo ſanè modo, quo commodiſſimè fieri licet.

Aliquando, autem, oneri ſtatim ſuccumbit, viréſque in principio morbi hujus acutiſſimi deficiunt. Aliquando, etiam, ſuperior,

perior unico fit conamine, quum tam levis rarúſque ſit fomes, ut citò diſpellatur. Qualis quidem febris populariter graſſata eſt, quæ à Dunkirkâ nomen accepit.

Aliquando, verò, unica paucarum horarum febrilis acceſſio ſufficit ad tantum fomitis abſumendum, quantum naturam impræſens levat : Atque ita, per diem unum vel etiam alterum, ab operâ hâcce requieſcit. At poſtea recens ad eandem accedit ; unde per exacerbationes eas totam hanc materiam febrilem excernere valeat.

Interim, hoc febris genus, quum intermittat, tutiſſimum eſt ; & certò arceri poteſt, niſi ſanguis fomites eatenus in ſe complectatur, ut ſecernere priùs, quæ aliena ſunt, neceſſe habeat, quàm ſanitas redintegrari poſſit ; aut, niſi viſceribus, quæ alimenta diſtribuunt, aliquid oneris incumbat, cui ſolvendo imparia evaſerint.

Medenti, ergo, hiſce febribus diſpiciendum, quænam ea viſcera ſunt, quæ onerantur ; ac de ventriculi inteſtinorúmque imbecillitate, & quòuſque afficiantur, quærendum

rendum. Hinc, enim, patebit, quâ ratione primæ hæ viæ exonerandæ ſint; atque, an eædem exinaniri queant abſtinendo à cibo, vel ſaltem uſu illius, qui * *humidus eſt, aut humori certè quàm proximus, ex materiâ quàm leviſſimâ, maximéque ſorbitio, eáque quàm tenuiſſima.*

Quâ ratione † *minui materiam ſuperantem oportet; quæ naturaliter digeritur, ubi nihil novi accedit. Ubi*, autem, *bilis ægrum, aut cruditas malè habet, expedire quoque per modicas potiones miſceri novam materiam corruptæ*, ab Heraclide ‡ Tarentino non ineptè obſervatur.

** *Id*, interim, *medici officium eſt, ut ægrum, neque ſupervacuâ materiâ oneret, neque imbecilliorem famâ perdat.*

Frequenter, autem, accidit, ut in ſero inflammato hoſpitetur nonnihil fomitis febrilis; unde & illud detrahere, cuti applicatis vacuantibus, expedit. Quò, ſanè,

* Celſ. L. III. c. 6.
† Idem L. III. c. 4.
‡ Apud Celſum L. III. c. 6.
** Celſ. L. III. c. 4.

detracto

detracto, febris nonnunquam ipſa tollitur; imò & via patefieri conſuevit, quæ ad febrium acutarum cauſas ſubmovendas commodiſſima eſt; ſcilicet, per glandes renales, aut etiam cutaneas.

Ubi, itidem, illud advertere fas ſit; iſtiuſmodi febres raró feliciter cedere, niſi de eo conſtet naturæ levamine, quod per glandium, quarum meminimus, ſecretionem evenire ſolet. Secùs, morbi fomes deliteſcere conſuevit, aliámque atque aliam faciem induere; imò, ſub mali habitûs, diuturníque cujuſdam affectûs ſpecie ſemet patefacere; qui nullam admittit dehinc curationem, uſque dum ex viſceribus vasíſque ſanguineis id vitij per emunctorium aliquod commodum rejectum fuerit.

Iſtud, verò, frequenter per puſtulas minutas tandem emittit natura; quo opere peracto, ſanitatem poſthac ſtabilem evadere non inuſitatum eſt.

Quin-

Quinimo, & eâ de re factum est, ut, licèt nec febres continuæ, nec remittentes in totum arceantur ; attamen, postquam restinguatur earum ardor, fomésque imminuatur, sæpissime iisdem contingat, intermittentium demum typum imitari : Unde, similiter ac illæ, facilè perdomari queant.

CAP. XV.

De morbis comitialibus, cæterisque id genus systema nervosum afficientibus, medendis.

PRogrediendum jam ad affectus prioris hujusce stadij, qui frequentiùs diuturni sunt; qui vel comitiales, ut & majores, appellantur; vel minores, quos nerveos simpliciter nominare liceat. Ideo verò * comitiales hîc præsertim tractandi, quoniam, nisi tunc temporis radicitus divellantur, vix, eosdem postea sanari, contingit. Neque † ferè corripi solent hoc morbo, postquam corpus maturuerit, omniúmque partium tramites tubulíque explicentur aperiantúrque, quibus in vitâ opus est naturæ; nisi,

* Ἀφορ. Τ. v, 7. † Περὶ ἱερῆς νόσου.

scili-

ſcilicet, antea opportuni hujuſce inſultibus fuerint.

Quibus præmiſſis, id primò advertendum, majores quaſi pro normâ minoribus ſtatui; adeò ut, quò propiùs hi ad caducos accedant, eò difficiliùs tractari queant, atque eò magis periclitentur ægri: Atque, prout caduci iterum ad ſiderationem appropinquant, eò deteriùs habeant res ægrorum.

Deinde, attendendum ad iſthæc itinera, per quæ hoc vitij ſæpiſſime ſubmovetur: Quæ quidem ducunt verſus corporis habitum ac per glandes cutaneas. Quale quiddam parvulis accidit; quum inſultus hujuſce morbi prægrediantur puſtularum eruptionem; atque exinde ſtatim iſte ſolvatur, abſque ullo alio incommodo.

Quapropter, naturâ duce, eadem omnino hoc morbo affectis adhibere fas eſt, ac ijſdem, qui malis laborent, qualia perpetuùm per circuitus recurrunt, donec eruptione puſtularum germanâ exterminata fuerint.

Quòd ſi eò uſque inſigatur materia, ut minimè voti compotes ſiant medici, id non imputandum niſi affectui ipſi, qui inter majores ideo numeratur, quoniam vix remedijs cedet, quæ non ſunt efficaciſſima, iiſque, quæ in univerſum ad naturæ ſcopum prædictum collimant.

Cælius * notat, qùòd Hippocrates de hoc affectu *ſcribens communiter ait; Quiſquis in humano corpore agnoverit ſiccandi vel humectandi, aut frigidandi vel calefaciendi cauſas, idem etiam iſtius paſſionis poterit videre rationem; & neque quomodo, neque ex quibus, neque quando vel quòuſque hæc fieri debeant, tradere curavit.*

Quæ quidem videntur deſumta ex autoris ipſius Libro de morbo ſacro, ſic ab interprete verſa; *Quiſquis autem talem mutationem in hominibus novit, & humidum ac ſiccum facere poteſt hominem, calidum item ac frigidum per diætam; hic utique & hunc morbum ſanaverit, ſi occaſionem eorum, quæ conferunt, pernoſcet, citra expiamenta,*

* Morb. Chron. L. 1. c. 4.

ac

ac incantationes, citráque omnem aliam hujuscemodi machinamentorum absurditatem.

Utcunque, verò, nil ampliùs ex hoc loco discere licet, quàm ut æger sit humidus ac siccus, calidus item ac frigidus per vices singulas ; attamen, quare hæc mutatio adhibenda, ex antecedentibus erui potest.

Talia, igitur, ibi reperiuntur ; *Naturam unusquisque habet & vim in seipso ; & nullus nec auxilij nec remedij expers est, & plerique his ipsis curantur, à quibus etiam nascuntur. Alterum enim alterius nutrimentum est, alterius verò pernicies ac afflictio. Hoc itaque medicum nôsse oportet, & temporis occasionem in singulis pernoscere, quod alterum quidem per alimentum absolvet & augebit, alterum verò detrahet & minuet. Oportet autem tum in hoc morbo, tum in reliquis omnibus non augere morbos, sed festinare ut ipsos exteramus, id quod adversissimum est morbo exhibendo, non quod amicum & familiare. A familiari enim & consueto floret ac augescit, ab adverso verò & hostili perit & dissipatur.* Paulò antè ; *Hic verò morbus sacer*

appellatus, ex iisdem caufis oritur, à quibus etiam reliqui ; ab accedentibus nimirum ac decedentibus , velut frigore, sole, ventis, quæ & transinutantur, & nunquam quiescunt.

Unde ferè investigare liceat , quamobrem mutationem hanc fieri præcipit ; siquidem adversa morbo esse debent, quæ eundem exterent. Ast, ad naturam cujusque atque ipsius vim attendere medicum oportet, quò feliciùs ex eâdem remedium eliciat, propriúmque ei auxilium exhibeat. Quod quidem ut plurimum ex ipsis initijs, unde exorti sunt morbi, deducitur : Siquidem alterum nutrire, alterum minuere tempestivè, medici est ; nunquam verò morbum augere, quod à fomitis congeneris accessione fieret, sed eundem extinguere ; quale fit, quum morbo repugnantia adhibeantur.

Causæ autem evidentes, atque extrinsecus afficientes sunt frigora, sol ac venti, quæ adducunt abstrahúntque hunc morbum. Itaque adversus hæc muniendi ægri singulis tempestatibus. Id quod curiosiùs illi observandum, qui hosce morbos sanare velit,

velit, quíque ratione tempeſtatum habitâ, humidam adhibet diætam, atque ſiccantem; calidámque præterea, ac frigidam: Nimirum, humidâ uti jubet, atque etiam ſiccâ; per calida, dein, humiditatem evocat, ac poſtea frigida adhibet.

Interim hæc non omnibus pariter naturis conveniunt; verùm, uti morbus in diverſis inſidet, ita diverſo modo tractandus. Docet, enim, in pituitoſis naſci, * non verò in biliofis; ſed, † quòd atrabiliarij hoc affectu corripi plerumque ſoleant.

Qualis, ergo, pituitæ adverſetur diæta, illis convenit; ſicuti, quæ atræ bili infenſa eſt, ea hiſce congrua eſſe conſuevit. Quo in loco & analogiam quandam indicat inter atrabiliarios & comitiales; ut *viciſſim comitiales fieri ſoleant atrabiliarij. Uterque verò morbus magis fit, prout ad alteram partem inclinârit: Siquidem ad corpus inclinârit, comitiales fiunt; ſi verò ad animum, atrabiliarij.*

---

* Περὶ ἱερῆς νόσȣ. † Ἐπιδημ. L. VI.

Quò dilucidiùs, igitur, hujus affectûs naturam & cognationem expofuerit, eò certiùs tractandi methodus ftatuitur. Proinde, ad id ferè genus affectuum nervorum referendus videtur, quibus corpus repletur, ideóque circuitus humorum alicubi impeditur. Id quod ex periodis ejufdem confirmatur, & quòd morbus exacerbetur ab aëris mutationibus, maximè pluviofis, atque * anni tempeftatibus.

Eædem verò funt anni tempeftates, quibus † & atræ biles dominentur, vere fcilicet ac autumno.

Tunc temporis cura maximè adhibenda eft, ne afficiantur; quando vacuari folenniter eos neceffe fit, & quando præcipuè advertendum ad emunctoria illa, per quæ fomes hujufce morbi pelli queat, ut opus fuum peragant, adeóque ut fæculenti nihil intus abditum deliteat.

Profectò, circa naturas nerveis affectibus, præcipuéque morbo majori, obnoxias, opera

* 'Αφορ. T. III, 16. † 'Αφορ. T. III. 20, 22.

ea medici ſolertis eſſe debet, ut exploret, quid inſenſum nervis reconditur ; perpetuóque ut iſtud apertis vijs exhauriatur. Secùs, ſentiendi atque intelligendi facultates ſenſim defecturæ, tandem prorſus deleri ſolent.

C A P. XVI.

De morbis, qui ætatem conſtantem maxime afficiunt, medendis.

HACTENUS affectus, qui priori hujus ævi ſtadio decurrentes affligant; dehinc verò iſti ſequuntur, qui poſterioris ſunt generis, atque ætatem conſtantem præſertim infeſtant. Hi autem inter eos recenſentur, qui vel repletum eſſe corpus ut plurimum indicant, vel ſaltem hominibus accidunt, quorum vires ad ſummum adauctæ ſunt.

Qui, ergo, affectus ſunt omnium vehementiſſimi, &, ſi fortè vitioſorum repletione peccent, tales ſunt, quales, niſi citò eadem minuantur, graviſſimè lædere conſueverunt. Etenim, viribus non adhuc infractis, periculum à violentis morbis adeſt; ubi

ubi aut cita rapit mors, aut præſentiſſimis ſuſtentata auxilijs, integra dominatur natura. Huc uſque, enim, vitalis exardet flamma, non quaſi auris lenibus ventilata, & tenuibus ac raris nutrita; verùm, tanquam forti reſpiratione ſuſcitata, ac fomites denſos depaſta, qui validiſſimum & æquabilem calorem alere poſſint.

Nimirum, hæc ætas malis gravioribus obſidetur; quo ævi tempore lucta præcipua in fortunæ palæſtrâ inſtituitur; quando pro omnibus certatur, quæ in ſenectutem reponenda ſunt; & quando coætaneorum mores & vigor conatibus acquirendi, quæ utilia futura ſunt ad ampliandas facultates, opponuntur.

Poſtquam, enim, in ſocietatem arctam devenerint viri fœminæque, novámque ſibi exinde ſobolem intueantur, id potiſſimùm moliuntur, ut liberis ſuis proſpiciant; ne ipſis, magis quàm ſibi, deſint fortunæ bona. Hinc recens indies egeſtas urget; ac novas inde opes accumulari non inuſitatum eſt. Ideóque frequentiùs cum aliorum ingenijs, quàm

quàm cum adverſâ rerum naturâ hoc vitæ tempore agitur.

Quapropter, ſæpenumero in morbos hâc claſſe numeratos præcipites ruunt: Atque ita, quando vires animíque deficiant, cœlo itidem adverſo, repentè corripiuntur hiſce affectionibus, quibus corpus tunc temporis opportunum eſt; qúæque hâc prorſus viâ progrediuntur, in quam natura ipſorum declinare parata ſit.

Hæ, verò, viæ vel in partes reſpirationi dicatas ducunt, quales ſunt anhelantibus & peripneumonicis; à quibus nec longè abſunt pleuritici, lethargici, & phrenitici; vel & in ſuperiora ac inferiora ſimul tendunt, quales cholericis; vel deorſum vergunt, quales ſunt ijs, qui laborant diarrhœâ, dyſenteriâ, lienteriâ & hæmorrhoïdibus.

Ubi, ſanè, ratio medendi naturam per omnia ipſius, quantumvis avia videantur, perſequi amat; quippe cui nihil priùs intueri

tuēri licet, quàm, ut, ejuſdem viribus collectis auctíſque, citiſſimè nec non tutiſſimè, hoſtibus profligatis, imperium demum illius móſque iterum priſtinus gradatim convaleſcendo revocetur, atque ſtabiliatur.

Cap. XVII.

De anhelatione medenda.

SI partibus reſpirationi inſervientibus eſſe infirmis contingit, craſſiſque ac viſcidis ſcatet corpus, quibus quidem per emunctoria propria iter occluditur, hinc fit anhelatio. Hiſce, enim, laborioſa ac ſuſpirioſa ſuccedit reſpiratio; dum latices minùs puri ægrè permeant ramulos extimos atque ſubtiliſſimos tubulorum, qui in glandes agglomerantur. Siquidem hinc evenit, ut lymphæductus liquore tenuiſſimo deſtituantur, qui in ſuccos nimis inſpiſſatos per hoſce tramites influere debet, eóſque ad juſtam fluiditatem redigere, quò faciliùs expectorentur.

Quo in genere medentis eſt, portas omnes patefacere, per quas tranſitus quàm celer-

celerrimè dari poteſt. Nec deſiſtendum, donec liberiorem laticum circuitionem ex ægri levamine præſentem eſſe conſtiterit.

Anhelatio, igitur, acuta eſſe conſuevit, monente * Celſo, qui & nil magis prodeſſe docet, quàm *ambulatio lenta penè uſque ad laſſitudinem; fricatio multa præcipuè inferiorum partium, vel in ſole, vel ad ignem, & per ſeipſum, & per alios, uſque ad ſudorem.*

Quâ ratione utrumque expeditur; dum hinc exercitatione leni, onus iſtud non ita affixum hæret; illinc motui aptius redditur, uſque dum per ſudores maſſa hæc vitioſa, quæ coëundo nocuit, tandem diffluat.

Quin & aſcenſus & deſcenſus locorum demum editiorum, quum poſthac vires laturæ ſint, inſuper conſulendus, non neglectâ interim vocis exercitatione, cæteríſque, quæ partes reſpirationi dicatas firmant. Nec, ſanè omittendus victus ventriculo gra-

* Celſ. L. IV. c. 4.

tus,

tus, qui facilè diſtribui queat, quíque & contra humorum viſciditatem pugnet.

Tempus, autem, anni, quo hic affectus magis dominari ſolet, autumnus eſt; * quando ſcilicet à vario cœli more organa reſpirandi graviſſimè patiantur, & quando fructus frugéſque ſuccis æſtuantibus, coctu minùs facilibus, ſed tamen ad alendum valentibus, divites ab æſtivo ſole evaſerint. Quod, igitur, tempus opportunum eſt exercitationibus; victûſque genera commoda præbiturum eſt.

Interim, fomes hujus morbi affinis videtur illi, quo † partibus ſupernis laborantibus, dolent coxæ aut genua: Quoniam anhelatio oboriens omnia hæc ſolvit.

Ubi notat autor, quàm arctè connectantur ſupernarum partium labores, cum dolore ad coxas, aut ad genua; & quàm facilè materiæ tranſlatio fiat à coxis & geni-

* Ἀφορ. T. III, 22.

† Ὅ, τι ἂν τῶν ἄνω πονέῃ, ὀδύνη ἐς τὰ ἰσχία, ἢ ἐς τὰ γόνατα· καὶ ἆσθμα λύει πᾶν ὅ, τι τουτέων γινόμενον. Ἐπιδημ. L. III.

bus

bus in ſedem anhelationis. Si quando, itidem, materia ad coxas, aut genua dilapſa fuerit, ſolvitur, dein, anhelatio.

Quapropter Celſus præcepiſſe videtur fricationem præcipuè inferiorum partium; quò certiùs devocatum vitium in inferiora inclinaret.

Proinde, quoniam ex varijs rèrum generibus frequenter congeritur iſta vel ſeroſa vel pituitoſa farrago, unde naſci videtur hicce morbus, cui etiam inſuper fomes ſæpe arthriticus accedit, in hoc medentis eſt animo incumbere, ut, quicquid reſpirandi facultates premit, in iſta loca rejiciatur, ubi tutò reponi poteſt, donec ſolvere atque eliminare, ſecundum naturæ ordinem, liceat. Idipſum, profectò, eſt emunctorij operà uti; quà ferè ſolâ medendi ratione affectus iſte domari conſuevit.

Quapropter, ex ægro diſcere eſt, utrùm acceſſionem antea morbi articularis ſenſerit; necnon, an ijs, quibus prognatus ſit, familiaris olim idem fuit, modò ſibimet adhuc minimè acciderit.

Quòd si id, quod peccat, istiusmodi esse constiterit, materiam eandem vitiosam priùs transferri in articulamenta oportet, quàm levamen percipi possit. Ita, enim, res habet, ut materia ejusdem morbi, deorsum ex capite tendens, respirandi organa primùm obsideat; dein, ex hisce sedibus operâ naturæ submota, coxas versus iter faciat; atque, exinde, ad genua, tandémque ad pedes delabatur. Hinc, quam primum satis attenuata fuerit, per proprias articulari morbo vias eliminatur. Qualis, sanè, materiæ translatio perutilis ægris fit; &, nisi hoc operis impediri contigerit, sanitatem integram pollicetur.

Cap. XVIII.

De pleuritide medenda.

PROXIME sequitur affectus pleuriticus; de quo primò notandum, quòd meliùs habeant res ægrorum, apud quos fomes morbi in sedem peripneumoniæ transfertur. * *Peripneumoniæ*, enim, *ex pleuritide transmutatæ, securiores sunt his, quæ ab initio fiant.* Non quòd partes, quas obsidet peripneumonia, tutiùs lædantur, quam hæ, quas pleuritis afficit; verùm quòd ipsa translatio aliquid fausti promittat: Quoniam hæc materia non eòusque sedi priori defigitur, quin aliò transferri queat. Unde, itidem, corpora, quibus hæ viæ arctiùs occludi solent, adeò ut difficiliùs detur huic materiæ transitus, magis ab utroque

* Κωακ. Προγνώσ.

hoc morbo periclitentur. Proinde, * *corpora exercitata ac densa citiùs à pleuriticis ac peripneumonicis morbis pereunt, quàm inexercitata.*

Quamobrem, quum Cælius † scribat; *frequentiùs antecedente pleuriticâ, peripneumonia sequetur; quo fiet, ut perniciosior sit antecedente; siquidem vexatis priùs viribus, atque adjutorijs incassum ex parte prærogatis, in secundam veniant ægri passionem*; videtur hic locus exponi posse per alterum ‡ ejusdem autoris, ubi hæc verba sunt; *Intelligimus eos, qui in augmento pleuriticæ constituti passionis proni atque faciles in peripneumoniam videntur, quum cæteris omnibus pejorantibus signis, atque in magnitudine extentis, solus dolor minuitur.* Nempe, pleuriticis morbo penè confectis superadditur peripneumonia. Quomodo & intelligi potest effatum illud, sic ab interprete versum; ** *Ex pleuritide peripneumonia, malum*: Quum vis Græcæ particulæ denotet ali-

* Κωακ. Προγνώσ. † Acut. Morb. L. II. c. 25. ‡ Ibid. c. 15. ** 'Αφορ. T. VII, II. 'Επὶ πλευρίτιδι περιπλευμονίη, κακόν.

quid,

quid, insuper veniens; non verò, ex eâdem translatum.

Ante omnia, igitur, in hisce morbis tractandis annitendum, ut latiùs divagetur materia, & ne cuivis parti affigatur. Siquidem fluitans quædam flamma non modò faciliùs extingui potest, quàm densior, quæ glandi adhæret; sed & minorem esse inflammationem ostendit: Unde quoque vel ab abscessibus tutior pars evadit; vel, si abscedat, suppurationem potiùs laudandam expectare est, quàm quæ malæ notæ ulceribus accidunt.

Dein, alia est ratio illuc transferendi, ubi quoddam quasi emunctorium datur, quale nimirum sputum exhibet. * *In pleuriticis, si sputum statim appareat, incipiente morbo, ipsum abbreviat; si verò posteriùs appareat, producit.*

Tale, quippe, sputum non omnino fieri abscessum indicat; ideóque nec ipsum penitus purulentum esse solet; verùm, natura

* 'Αφορ. T. 1, 12.

per hæc itinera coëuntia vitioſa pellere valet, ídque priuſquam eadem partes ipſas corruperint. Quemadmodum alibi hæc habent; * *ubi ad latus affixa putruerint, & per ſputum rejecta fuerint, ſani fiunt.*

Dein, *pleuritici, quibus in principio ſputationes penitus purulentæ ſunt, tertiâ die moriuntur, aut quintâ. Si verò has effugerint, non multò meliùs habentes, ſeptimâ, nonâ aut undecimâ ſuppurari incipiunt.* Quinetiam, † *pleuritides ſiccæ ac ſine ſputo, difficillimè fiunt.*

Interim, ‡ *quicunque pleuritici facti, in quatuordecim diebus non repurgantur, his ad ſuppurationem tranſitio fit.* Hæc, autem, purgatio ope medicaminum fieri debet; non verò, à morbo. Namque, ** *à pleuritide occupato alvi profluvium, malum.*

Rurſus, *†* *quicunque ex pleuritide ſuppurati fiunt, ſi in quadraginta diebus pur-*

---

* Κωακ. Προγνώσ. † Ibid. ‡ Ἀφορ. T. v, 8. ** Ἀφορ. T. vi, 16. *†* Ἀφορ. T. v, 15.

gati

gati fuerint, ab eâ die, quâ ruptio fuerit, liberantur. Si verò non, ad tabem transeunt.

Quanquam, igitur, ad inflammationem arcendam omnia adhiberi debeant, quæ expuendi nixibus faveant; attamen diversa ægrorum natura hîc loci attentionem meretur. Est enim, ubi pleuritici naturâ nerveis affectibus obnoxij sunt; de quibus effatum illud intelligere licet; *Acidum * ructum habentes, non ita valde pleuritici fiunt.* Siquidem iste morbus non tam fortiter hosce occupat; quibus acidum dominari solet. Quibus, itidem, non opus est tam copiosâ vacuatione; quam sanè haud facilè illiusmodi ægri ferre solent.

Quapropter, hasce naturas internoscere medentem oportet: Secùs, malè habebunt res talium, siquando eodem jure tractentur, ac illi, qui pleuritide graviori laborant.

---

* 'Αφορ. T. VI, 33.

CAP. XIX.

De peripneumonia medenda.

QUUM pulmo partésve illi adjacentes inflammentur, non leve semper adest periculum; quippe quæ loca proximè fontes vitales sita sunt. Propterea, * *ubi in vigore est peripneumonia, auxilium non admittit, si non repurgetur.*

Huic quidem morbo cum pleuritide ac phrenitide communia quædam notantur; ita tamen, ut peculiaria etiam ad singulas pertineant. Ea, verò, huc præcipuè spectant, qualia proprias vias monstrant, quibus eorundem natura utitur, qui ex hoc morbo convalescunt.

---

* Περὶ διαίτης ὀξέων.

* *Qui-*

* *Quibuscunque ex peripneumoniâ abscessus circa aurem, aut ad infernas partes fiunt, & suppurantur, ac fistulantur, hi superstites evadunt.* Dein, *abscessus ad crura in periculosis inflammationibus pulmonis, omnes quidem commodi sunt.*

Proinde, annitendum protinus, ut istius morbi fomes eò derivetur, quò natura indicat. Quo quidem consilio non fallente, symptomata subinde se remittunt, atque ita imminenti periculo commodè æger eripitur.

Celsus, † itidem, ardorem sitímque levare jubet aquâ egelidâ, maximè verò, *ubi incrementum constitit.*

* Κωακ. Προγνῶσ. † L. IV. c. 7.

C A P. XX.

De lethargo medendo.

LETHARGI, qualis hujus eſt loci, *ſtatus* * *idem eſt, qui & peripneumoniæ; verùm difficilior, & non omnino liber ac remotus eſt ab humidâ peripneumoniâ. Sed multò tardior eſt morbus.*

Dein, † *qui ex lethargicis ſervantur, plerumque pectore ſuppurati fiunt.* Unde quidem, graviſſimum eſſe morbum, viſum eſt; ejuſdémque ſanandi ſpem in abſceſſu pectoris ſitam eſſe: Cujus, itidem, eventus ut plurimum inauſpicatus haberetur.

* Περὶ Νούσων. † Κωακ. Προγνώσ.

Itaque,

Itaque, quoties auxilium huic morbo adhibere oportet, minimè negligenda ea, quæ abſceſſui ſunt.

Veruntamen, in memoriam etiam revocare utile erit Cælianum * illud ; *Aliqui, denique, è lethargo liberati abſolutam phrenitin incurrunt, ac deinde ad ſanitatem pervenerunt.*

Quamobrem, quum tam proximè ad ſe invicem nonnunquam accedant hi duo morbi, ut alter in alterius fines tranſeat ; alienum non videtur, per idem emunctorij genus, hujuſce ac phrenitidis fomitem depellere.

* Acut. Morb. L. II. c. 3.

CAP. XXI.

De phrenitide medenda.

QUANDO phrenitis occupet, ſtatim de emunctorio per hæmorrhoïdas cogitandum; utpote quod tutiſſimum ſit, naturâ juvante, atque commodiſſimum itineris genus.

Ulteriùs, etiam, inquirendum in naturam; an nerveis affectibus opportuna fuerit; quippe quam hæmorrhoïdes magis juvare conſueverunt.

Præterea, advertere uſui erit ad ea, quæ per glandes renales ſecerni poſſunt; quoniam hâc itidem viâ utitur natura, ad pellendum hujuſce morbi fomitem. Quî fit, ut quum contenta urinâ laudabilia eſſe cœperint, ipſe etiam morbus brevì diſpareat. Quo-

Quocirca, & eadem prodeſſe veriſimile videtur, quæ viam aperiunt, quâ iſta illuc materia deferatur. Qualia, ſanè, ſunt, quæ febrili ardori reſtinguendo ſunt ; ac, quæ ad partes infernas adhibita, per cutim ſerum inflammatum derivant.

Neque hiſce quidem aliena ſunt, quæ per clyſmata infunduntur, eâ ratione, ut in inteſtinis moram trahentia, crudam craſſámque, in quâ morbus reſidet, materiam digerant, atque in fluorem redactam deorſum inclinent.

Cap. XXII.

De febre ardenti medenda.

Ex febre ardente periculum imminere judicantes medici, nullámque concedi moram, quamprimum liquido igne ſanguinem accenſum viderent, id ſibi negotij ſolùm dari crediderunt, ut ejuſdem ſemina protinus extinguerent. Proinde, hanc * febrem tractârunt, quaſi igneus liquor ſanguini inſideret, atque per varios ejus rivos diffunderetur.

Quos, ergo, ignes priùs opprimere ; dein, per glandes cutaneas ſudoribus difflu-

* Celſus, L. III. c. 7 totam hanc methodum eleganter deſcribit, & quando propter quædam ſymptomata minimè conveniat. Similiter, poſt Græcorum celeberrimos, Paulus, L. III. c. 30.

entes,

entes, liquores iſtos ſorbitionibus, tenuiſſimis atque infirmiſſimâ materiâ conſtantibus, dilutos evocare conſueverunt.

Veruntamen, quandocunque in hiſce febribus eidem methodo inſiſtere non liceat, propter morbo huic ſupervenientia, quæ Autores laudati notârunt, videndum, quodnam ſit proprium eidem emunctorium.

Hoc, verò, inde diſcere eſt, quòd, * *ex febre ardente, abſceſſu purulento circa aurem non aborto, non valde ſervantur.* Quare, & ad eas partes adhibenda ſunt medicamenta, evocantia morbi hujuſce fomitem.

At, † *ſi deſinente febre ardente, morbus regius accedat, non ſolet ampliùs exudare; neque uſquam alibi abſceſſum facere, ſed ſanus fit.*

---

* Κωακ. Προγνώσ. Ubi interpres vertit πάνυ, *valde*. Quod videtur denotare, viam hanc ſaltem inter omnes eminere. † Περὶ Κρισίων.

CAP.

Cap. XXIII.

De alvi profluvijs diuturnis.

SOLENNES quibuſdam naturis ſunt ejuſmodi fluxus; qui & eaſdem levant, utilitérque, quod læſurum eſt, effundant. At, ſi modum excedant; ſæpiúſque, quàm ex conſuetudine fertur, dejiciant; ídque cum dolore inſueto, vel alio aliquo afficiendi modo, unde nihil fructûs percipiatur; maturiùs in cauſas ejuſdem inquirere oportebit.

Eſt, enim, ubi ventriculo vitium inſidet; quod, dein, ſubmovendum: Eſt etiam, ubi pro aliâ aliquâ viâ ſubſtituatur inteſtinorum iter; per quam natura commodiſſimè ſibi infenſa eliminat. Tum,

verò,

verò, non modò recrementa ibi jam depoſita repurgare oportet; ſed & impoſterum derivare, quæ nocent, per peculiares tramites, prout naturæ leges jubent.

Nec, quandocunque ejuſmodi profluvia diuturniora evaſerint, alvo jam ſiccatâ, ſubſiſtendum; aſt, ipſa demum inteſtina exercitationibus, vehiculo vel equo ſedendo, confirmanda ſunt.

C A P. XXIV.

De bilis ſurſum ac deorſum effuſionibus.

AFFECTUS iſtiuſmodi hiſce annumeratur, ubi, niſi violentiſſima ſymptomata citò leniri contigerit, nil miri eſt, ſi æger fato cedat.

Inſtar omnium poteſt huc transferri ſequens hiſtoria ; * *Athenis virum cholera corripuit, vomebátque, & deorſum egerebat, & dolebat ; &, neque vomitus, neque per alvum ſeceſſus ſiſti poterat ; & vox ipſum deſtituebat, & ex lecto moveri non poterat ; & oculi caliginoſi ac cavi erant : Et convulſiones tenebant ab alvo, & inteſtino, & ſingultus.*

---

* Ἐπιδημ. L. v.

Verùm

Verùm secessus multò copiosior erat, quàm vomitus. Hic veratrum in lentium succo bibit, & alterum lentium succum insuper bibit, quantum potuit, & postea vomuit; & coacta sunt, ac adstricta ipsi ambo. Frigidus autem factus est, & lavabat infernè usque ad pudenda calidâ valde multâ, donec supernæ partes calefactæ sunt, & vivebat: Posterâ verò die polentam bibit ex aquâ. In quâ historiâ, ingenium hujusce morbi clarè demonstratur; quoniam, veratro, (cujus vires satis cognitæ sunt) sumto, tollitur.

Proinde, medici * seculis sequentibus, *protinus aquæ tepidæ quam plurimum bibendum esse*, docuerunt: Qui sanè observârunt, *vix unquam eam sine vomitu sumi; sed, etiamsi non incidit, tamen, corruptæ miscuisse novam materiam, prodesse; partémque sanitatis esse, vomitum esse suppressum. Si verò id incidit, protinus ab omni potione abstinendum esse.* Neque, enim, tantum, quantum Hippocrates, purgationi hîc tribuen-

* Cels. L. IV. c. II. Cælius Acut. Morb. L. III. c. 21. hoc Erasistrato tribuit.

dum voluerunt ; ac, præterea, veratrum bibere quemvis noluerunt, quem, abſque uſu ejuſdem medicaminis, ſanatum iri crediderunt.

En locum Hippocratis, quem Cælius * nobilis ille Methodicus vitio eidem dedit ipſiſſimis verbis ; *Helleboro dicit* [Hippocrates] *utendum cum lenticulâ, ac ſingularem ſuccum lenticulæ bibendum : Tunc, inquit, vomitum provocandum eſſe, quod eſt non aliter contrarium, quàm ſiquis fluore ſanguinis pereuntem, vel diaphoreſi diſſolutum phlebotomare, vel ita ut cardiacum ſudore diſſluentem, calido lavacro, vel ſudoriferis vaporibus velit adjuvare. Quod id ipſum, quod paſſio nititur, adjutorium quoque fieri vehementius cogat. Etenim, in helleboris vomitus factus, etiam his, qui nullâ ſolutione afficiuntur cholericæ paſſionis, periculum ſolet fieri, & magis, cùm non præparatis corporibus adhibetur. At, ſi quiſquam Hippocratem defendens dixerit, ab eo non datum ; ſed memoratum, quòd quidam cholericus acceperit, vel ſibi ipſe dederit, frigidâ utitur defenſione, Ait, enim, Hippocrates, profuiſſe*

* Acut. Morb. L. III. c. 21.

datum :

datum : Quòd si displiceret, culpare debuerat.

Nempe alia Hippocrati videtur ſententia, ſcilicet veratrum exhibitum in lentium ſucco profuiſſe, quando aliud omne auxilium, quod adeſſet, fruſtrà fuiſſet tentatum ; imò, poſtquam ad convulſiones ac ſingultum ventum fuerit, veratro demum dato, ſanatum fuiſſe : Et, licèt fortè ſoli illi tribueret medicamini, quod tutiſſimo planè modo exhibitum fuit in liquore, copioſiùs de eodem etiam poſt medicaminis ingeſtionem bibendo ; ipſius tamen liquoris genus tacere noluit. Neque etiam, more ſuo, curationem hanc veratro, potiùs quàm alij cuivis medicamini, quod tam validè operaretur, attribuit ; verùm ſcripto hoc reliquit, in quo ſatis naturæ auxilij ſitum ſit, ſiquis hoc morbo vehementiſſimo correptus fuerit.

Juvit Athenienſem laborioſè operatum hoc catharticum ; & natura, congerie ſuccorum pravorum vacuatâ ſurſum ac deorſum (quam videlicet viam ipſa indigitârat) levamen exinde ſentit, atque æger conva-

lescit. Unde patet, quàm apprimè utile sit naturæ voci auscultare, quandocunque varia ad curationem spectantia consideranda sunt.

Quinimò, quò majoris asperitatis veratrum damnetur, eò clariùs ostendit, hanc esse peculiarem affectui medelam. Illud itidem accedit, quòd, dum contenta viscerum, circa ventriculum sitorum, quasi per fluorem excernuntur, eadem, quæ fortiùs vomitum cieant, non tam diu intus maneant, ut diffundant facultates, à quibus homines aliàs periclitantur: Hinc verò, tutiora tunc temporis evadere.

Hisce visis, Empirici * etiam nobiles Serapion & Heraclides Tarentinus in idem ferè cum Rationalibus medicis consenserunt. Et, dubio procul, idem sensisset acumine laudatissimus Cælius, nisi theoriâ sectæ Methodicæ obcæcatus fuisset; cui vir ille perhumanus, ac de medicinâ optimè meritus, addictus fuit.

---

* Apud Cælium, ibidem.

C A P.

CAP. XXV.

De Dysenterijs medendis.

PERICULOSUS hicce morbus non modò dolore affligit, sed & vires valde consumit. Quare, operæ pretium est inquirere in tractandi methodum, quæ à naturâ maximè pendet.

Historia, autem, Eratolaï * filij, qui dysenteriâ ac febri laborat, methodum huic morbo medendi indicat, quæ & perinde felix ac jucunda erat, atque rationi maximè consentanea videtur : *Ubi serum & lac bibisset, silice candefactâ immissâ, dolores & subcruentæ egestiones moderatiores fiebant, sed biliosæ comitabantur : Et sæpe ad exonerandum alvum surgebat, sed minore dolore. Fe-*

* Ἐπιδημ. L. VII.

 bricu-

bricula verò & ægroto, & multis omnino non adesse videbatur per omne tempus post primos sex dies; adeò obscura erat.

Deinde, singula mala describit autor, quæ ægrum hunc morbi stadia percurrentem infestârunt usque ad quadragesimum diem. *Bibenti*, autem, *lac asininum coctum, novem heminarum Atticarum mensurâ ad duos dies, biliosa purgatio vehemens oborta est, & cessaverunt dolores, & ciborum appetentia accessit. Postea verò bubuli lactis crudi quatuor heminas Atticas bibit, pro vice unâ cyathos duos, in diem, primùm sextam aquæ partem ammiscens, & vini nigri austeri parùm.*

Semel autem in die cibum capiebat ad vesperam. Panis erat ad mensuram dimidiæ chœnicis subcineritius, & pisciculus petrosus simplex, aut caruncula capræ aut oviculæ.

Potus lactis, post primos decem dies ad quadraginta usque, sine aquâ, cum vini nigri modicâ parte. Post septuagesimum jam à primo diem, à balneo ad noctem, sudor exiguus obortus est. Utebatur autem modico potu, & post cibum potu austeriore.

Quin

Quin nec omittenda, quæ proximè sequuntur; *Ctesicrati lac in farinâ magis, quàm serum caprinum contulit, quum dolor esset circa totum ventrem, & dolores cum multâ ad egerendum surrectione, ac subcruentâ egestione, & tumor circa pedes, ferè jam ad dies viginti quinque esset.*

Et Adriano eadem contulerunt: Verùm Canea filio, lac asininum coctum.

Celsiana * etiam huc faciunt; *Si vetustior morbus est, ex inferioribus partibus tepidum infundere vel ptisanæ cremorem, vel lac, vel adipem liquatam, vel medullam cervinam, vel oleum, vel cum rosâ butyrum, vel cum eâdem album crudum ex ovis, vel aquam, in quâ lini semen decoctum sit, vel, si somnus non accedit, vitellos cum aquâ, in quâ rosæ floris folia cocta sunt. Levant enim dolorem hæc, & mitiora ulcera efficiunt, maximéque utilia sunt, si cibi quoque secutum fastidium est.*

* L. IV. c. 15.

Potui,

Potui, si febricula est, aqua pura calida vel ea, quæ ipsa quoque astringat, dari debet: Si non est, vinum leve, austerum. Si pluribus diebus nihil remedia illa juverunt, vetúsque jam vitium est, aquæ bene frigidæ potio assumta, ulcera astringit, & initium secundæ valetudinis facit. Sed ubi venter suppressus est, protinus ad calidam potionem revertendum est.

Paulus, * autem, monet, *si multa sit caloris intemperies, etiam intybus cruda esui danda est, & aqua potioni frigida. Alia verò potabilis aqua, cœlestis esto.*

---

* L. III. c. 42.

CAP. XXVI.

De Lienteriis medendis.

QUEMADMODUM ex torminibus interdum inteſtinorum lævitas oritur; ita hâc ipſâ aſfectos *per eadem curato velut à dyſenteriâ detentos*, ait * Hippocrates.

Celſus, autem, ſcribit; † *huic morbo cum aliis neceſſarium eſſe vomitum, ut Hippocrati viſum eſt, etiam albo veratro, ſi cætera parum proficiunt, evocatus.* Id quod poteſt forſan colligi ex loco ejuſdem laudato, ubi *hunc morbum fieri* docet, *ex capite & ſuperiore ventre, pituitæ defluxu in ventrem inferiorem. Quod ubi contingit, cibi ab ipſo frigeſiunt, ac humectantur. Et ſeceſſus ipſorum non putrefactorum velox contingit.*

---

* Περὶ παθῶν. † L. IV. c. 16.

Et,

Et, quum, quodcunque ingeſtum erat, in hoc morbo, dum per inteſtina tranſiret, nullatenus immutari viderent medici, ideo judicârunt, morbum in hæc corpora non adhuc dominari, quæ ſigna alicujus, quod corrumperetur, ederent. Quamobrem Cælius * talem profert ſententiam : *Ex lumbricis corruptionem lientericis irruentem, bonum quicquam portendere judicamus; in omnibus verò cæteris, noxiam.* Quaſi, ſcilicet, lienterici meliùs habent, quandocunque lumbrici ab illis egerantur.

Ejuſdem, etiam, generis illud eſt ; † *Ructus acidus oboriens, antea nunquam factus, ſignum bonum.* Siquidem indicat, naturam aliquantum iterum valere cœpiſſe ; addítque id ipſum ſpem, quòd humores in acidos immutare poſſit ; aut etiam, quòd hi in acidos tranſmutati nervos jam ſtimulent, quódque ipſi acutùm ſentiant.

Deinde, ex pituitæ bullulis erumpens flatus index fit facultatis alicujus, quæ

* Morb. Chron. L. IV. c. 8. † Ἐπιδημ. L. II.

com-

comprimat, detineátque non modò tenuia, ſed & craſſiora : Hoc, verò, poſſe, qùale antea nequibat, novum quoddam robur in ſe complectitur.

Quod attinet, autem, ad duplex lienteriæ genus à Paulo deſcriptum, prius, quod provenit ex ſuperficiariâ inteſtinorum ulceratione, aut etiam ex cicatrice, quam dyſenteria magnâ ex parte, vel aliæ fluxiones excitant, more dyſenteriæ tractandum videtur ; prout poſterius, ex facultatis cibum in ventre continentis imbecillitate, non magis diverſâ ratione, ab eâ quæ Hippocrati placuit, quàm in quantum res ægrorum aliud poſtulent.

C A P. XXVII.

De Hæmorrhoidibus medendis.

FLUXUS hæmorrhoïdalis eò uſque inhibendus videtur, ut debilitas omnino non ſequatur: Atque etiam ſymptomata ex dolore orta mitiganda ſunt. Quocirca, expedit lenia alvum moventia aſſumere.

Huc, ſanè, ſpectant, quæ chylum nimis acrem mollibus ſuccis ditant, atque interim ſanguinem depurant: Dulcéſque hiſce conjunctæ aquæ id operis, niſi mali aliquid intus deliteat, abſolvendo pares eſſe conſuêrunt.

C A P. XXVIII.

De ijs, quæ etiamsi huic accidant ætati, peculiariter tamen vergentem prospectant.

DUM in hoc stadio decurritur, non solùm ad id, quod præsens est, spectandum; verùm etiam ad ævi futuri securitatem ac tranquillitatem. Quamobrem, consilia quædam in hunc finem proponere liceat; quò auspicatiùs ex hâc ætate in sequentem sani transeant: Nempe, ut prudentes futuri exitûs, quando pristinis deserti erunt viribus, vitæ reliquum instituant iter non sine commeatu, quo opus erit ad imbecillitatem sustentandam; eâ prorsus ratione, ut hisce minimè destituantur, quæ utilia esse possunt ad vitæ, quod restat, tempus leniter traducendum.

Ante

Ante omnia, igitur, bonis adeò profpicere haud alienum erit, ut ifthæc fuperflua, quæ tanquam caufæ morbis antecedentibus fubfternuntur, tam cautè feu reprimantur, five etiàm rejiciantur, quàm propofito conveniat cavendi, nequid de viribus, ultra quod naturæ fuæ par fit, decedat.

Etenim cuivis naturæ propenfio eft in hoc vel illud fupervacaneum; ita ut, hæc bile magis affluat; illa pituitâ potiùs laboret; huic fanguinei rivi nimiùm repleantur, unde circulus non nifi ægrè peragitur; illum obefitas prægravet.

Accedit etiam, ut falia, femina lapidea, ac mineralia, ficuti etiam ardentes liquores, atque plantarum variarum animaliúmque facultates, quæ frequenter peculiares fibi obtinent vires, admifceri, aut faltem deponi in humoribus corporífve conceptaculis idoneis, contingat.

Hujufmodi fanè omnia, quæ nocent five coëundo, five extimulando aut irritando nec,

nec non humores ipſos vitiando, ſubtiliſſimáque glandium itinera obſidendo ; ac, dein, officiendo, ne latices puritatem amiſſam conſequantur, aut eandem jam integram conſervent, quantum fieri poſſit, ſubmovenda ſunt ; vel, ſi id non liceat, ſaltem vires noxiæ frangendæ, ac cohibendæ, ne effrænes eorundem impetus provecti demum ætate perſentiſcant.

Etenim, hiſce tempori neglectis, lucta infirmos expectat ; ac, quæ maturos perdomuiſſe oportuit, hæc ipſa annis jam defecti, naturâque ad laborem hunc rite perferendum inhabili, ſuſcipere, quantumvis inaniter, cogentur.

Quinetiam, huc ſpectat, quicquid de naturis atrâ bile laborantibus obſervatum fuit, quæ acerbioribus hoſpitium præbent ſuccis ; quæ ideo auxilijs perpetuis egent, quò certiùs per emunctoria accommoda, quæcunque offendunt, evocentur. Oneri, enim, ipſis ſunt, qualia cæteris vix curæ eſſe poſſunt : Quare crebrò cogitandum de fæculentâ eluvie ; qualem uti breviori, quàm

reliquæ naturæ, temporis ſpatio congerunt, ita &, quamprimum eandem premere ſentiunt, ſtatim exterminare omnino ſaluti eſt.

Alterum, dein, ſequitur monitum; Ne vires tunc temporis abſumantur inanitione prælargâ; quale ijſdem quidem accidit, qui ſanguinis vel alvi profluvijs diuturnis laborant; quorum itidem corporis habitus liquores per glandes cutaneas aut renales copioſiùs, quàm par eſt, tranſmittit.

Singula quippe hæc profluvia, quæ modo peccent, inhibere prodeſt; ut vis à naturâ inſita, quæ poſthac minimè augeri queat, in tantum integra, quantum anni ſinant, poſſideatur. Itaque optandum, quum ſera ætas in proximo ſit, ut latices puriſſimi copiâ ſatis largâ vaſa perfluant, útque ſenſûs organa integrâ eâ firmitate, quâ per ævi rationes licet, gaudeant.

Porrò, hiſce affine tertium illud eſt; Ut, quicquid in naturæ leges peccat, iſtud omne tunc temporis curetur, antequam ulte-

ulteriùs ætas provehatur. Exempli causâ, appetitus læsus jam tum instaurandus; ita ut, neque ingeratur plus quàm varijs corporis munijs insumi facilè sine sensu gravitatis soleat; nec, ut minus capiat, quàm eidem alendo sat erit, illiúsque viribus eo vigore reficiendis, quo pro modo laboris quotidiani exercitationúmque opus sit.

Interest, enim, inter hunc, qui labores assiduos ferendo par esse debet, atque illum qui otio gaudet plurimo: Interest, itidem, inter illum, qui raro loco movetur, eúmque, qui vix unquam, nisi per somnum, sedi affigitur. Imò aliter habent hi, qui literis humanioribus ac cultioribus operam dant, atque aliter isti, qui aridioribus, nullâ cum festivitate aut leporis gratiâ conjunctis, operibus insudant.

Quibus diversis à se invicem institutis, accommodandæ sunt nutriendi vices, perinde atque alimentorum modus & genera. Est, ubi dies aliquot interponantur; est, itidem, ubi vix detur feriari; verùm eos-

dem duntaxat, agendi modus alius poſt alium, excipit.

Iter quidem per varia hæc hominum negotia ac ſtudia, tutiùs monſtratur, ſi perpetuò ad vires ſpectent; qúæque ſatis agiles, ſibíque non ingratos ipſos reddant, ea ferè omnia amplecti moneantur; memineríntque, nihil, ultra quod facilè ferant, impoſterum abſque periculo ſuſcipiendum.

Interea, quod de appetitu læſo ſpeciatim obſervatum fuit, idem etiam ad alias functiones extendere convenit, ſi quæ ægrè habeant, aut, præter ætatem, inſolito more deficiant.

Quartum, dehinc videtur; Statuendam eſſe vivendi normam, ad quam dirigere omnia inſtituta prudentis eſt. Etenim, à more, qui jam obtinet, vix poſtea recedendum; ideóque, qualiſcunque is demum fuerit, ſecundum ipſum ſequentis vitæ rationem inſtituere præſtabit.

Hinc

Hinc perpendendum, qualis eadem esse debet, quam sibimet, vel propter negotiorum genus, vel etiam peculiare aliquod studium, cui præcipuè addicti fuerunt, placituram citra molestiam, prævideant. Exinde, itidem, recolligere præterita dudum abjecta, quâ de causâ repudiârunt, haud incongruum erit; scilicet, quî fieret, ut difficiliora experirentur, sive etiam leviora, quàm ut moribus suis convenirent: Quippe quæ, verisimile est, posthac non toleratu fore faciliora, aut gravioris momenti visum iri, quum ætatis ultimæ oculis subjiciantur.

Hæc, certè, omnia dirigere ad scopum, quem ætas sequens sibi proponere consuevit, prudentis est; qui is esse solet, ut ne susceptu sibi difficilia curet, aut quæ nimiùm vires aut proprias aut alienas ijsdem insumendas postulent: At, quæ non inepta sunt infirmæ ætati, neque pòst negligenda; nedum qualia mox mutare laboret, aut qualium tandem serò pœniteat. Quinimò, nil unquam majoris momenti vide-

tur, quàm ut hoc propositum summo mentis acumine, omnibus perpensis, delectum prosequi perpetuùm & deceat & amet.

Profectò, ut menti bene sit, perinde atque corpori, necesse est ambo circa opera sibi propria versentur: Secùs, illa minùs, uti & hoc, valebit.

Exercitatio corpori per quamcunque ætatem, gradu modóque licèt diverso, prodest: Idipsum similiter menti est cogitatio. Neque sanè corporis exercitationes assiduè easdem esse oportet, nec mentis cogitationes: Quin libeat aliquando hasce per vices immutare; interdum asperiora viarum haud fugere, interdum per lævia spatiari. Eodem planè modò, nonnunquam argumenta, quibus intelligendis attentione non levi opus est, seligere; nonnunquam & cogitationes, per laxiùs cohærentia autorúmque amœnitates divagari, permittere.

Postremò; Prout omnia fugienda sunt, quæ vigorem deprimunt, faciúntque, ut naturæ vires non constent; ita quoque cuncta

cuncta ad ſanum habitum integritatémque facultatum à naturâ tributarum conducentia perquirenda ſunt. Siquidem, maximè providâ jam curâ opus eſt, ne ſequens ætas non ſatis muniatur adverſum iſtiuſmodi affectus, qui ad ipſam naturâ ſuâ invadendam apti ſunt. Idque in memoriam ſubinde revocare ne pigeat, quale ævi genus eſt, in quod mox introducentur; ac, dein, qualibus armis tutandum ſit hanc ſui partem, quæ magis opportuna inſultibus pateat, aut propter debilitatem, ſive etiam peculiarem aliquam in vitia propenſionem, quæ hæc ævi tempora præſertim infeſtare ſolent.

Deinde, autem, quò magis efficacibus ſuppetijs inſtruantur, iíſque quæ vim malorum incurſantium aut infringant, aut prorſus defendant, reminiſci oportebit, naturam à violentis omnibus abhorrere, præterqùam quando effrænes impetus regere neceſſe ſit, atque ope fortium alia fortiter ſe opponentia perdomare.

 Quo-

Quocirca, intueri liceat tardam naturæ ipſius progreſſionem, & quî, ſanè, propria ſibi opera, quaſi ſponte venirent, emittere ſolet : Quippe quæ nihil cogere, nihil impellere, nihil itidem proripere ſtudeat ; at ſenſim procedere ſe ſequentes velit ; unde fructus ſuos commodiſſimè, ſuo quoſque ordine ac gradu, percipiant.

Pari ratione, tranſitio facilis in ætatem vergentem optanda eſt, útque leniter in eandem, qui ad fines ætatis conſiſtentis appulerunt, labantur ; minimè verò tanquam de præcipiti devolvantur.

Proinde, poſt ſanum, pro cujuſvis naturæ modulo, corporis habitum, præcipuum in votis haberi par eſt ; ut ſpiritûs copia, quantum ſatis erit ad munia peragenda, tunc temporis ne deſit. Interim, haud ſpernenda ſunt conſilia, quæ præcautionem hîc adhibendam eſſe monent ; utpote quæ ferè ex alienâ temeritate nata ſunt.

Conſtat profectò, nemini tantum ineſſe roboris, quin eodem indigeat, niſi olim peper-

pepercerit, aut ſaltem ejuſdem minimè prodigus fuerit : Neque ulli quidem mortalium vis immenſa tradita fuit; nec, quod eidem ſuperſit, qui cautè ac prudenter rem geſſerit, plus ſufficiet, quàm naturæ opera debitè conſummabit.

Quapropter, ei cavendum eſt, quiſquis leniter in ætatem vergentem tranſire cupit; &, quiſquis eam non ſibi ingratam fore ſperat, illius expectatio tum demum rationi conveniet, quando ea devitet, quæ ſenectutem accelerant, eáque amplectatur, quibus ætas adulta longa reddatur.

Hinc, enim, evenit, ut feliciter cedat ijs ſolis hoc ævi tranſigere, qui à turbato, impedito, ac nimiùm difficili degendi modo, leniter ad eas res curáſque, quæ ſenectuti obrepenti magis conveniant, ſe maturè conferant. Neque, ſanè, jurgijs, rixis, ſtrepitúque juniorum ſe immiſcere eoſdem docet natura, qui ad ſenectutis principia pervenerunt.

Quin

Quin potiùs mellea Neſtoris Homerici dicta ab illius jam ſenioris ore fluant, qui pares eidem annos, aut ſimilem ejuſdem ſenectam, cum ſapientiâ placidâ conjunctam, exoptat.

Ut ſummatim dicam; A vitæ tumultu, non ipſius negotijs congruis, recedere æquum erit ei, qui ſemetipſum ad irrepentem ſeniorum ætatem adaptabit.

Propterea, eo planè modo, ad affectiones, quæ ætati vergenti accidere ſolent, proſpiciens perget ijs, quæ utilia ſunt, inſtructus; naturæque, dein, ſuæ opus permittet: Unde vivendi tædio ipſe ſibi gratus non affligetur; ac prudenti ſui ipſius regimine fretus, conſilijs nobilis, ac tranquillè ſe habens, alijs, quaſi fluctibus jactatis, manum cum largæ experientiæ auxilijs præbebit; ſuámque apud optimos dignitatem conſervabit, ac novam indies ſibi conciliabit, quæ rectè inſtitutis ſuis adamuſſim reſpondeat.

Hinc

Hinc illud apprimè utile deprehensuri sunt, qui huc usque devenerunt, ut nequid nimis affectent. Nempe, animi æquè ac corporis perturbationes eatenus fugiendæ, quatenus cum securitate liceat; aut saltem temperandæ, modò iniqui aliorum mores requie frui non sinant. Quando, autem, molesta incidant, aut ipsi consilijs eorum, qui beatos esse concives nolunt, adeò objiciuntur, ut in itinere non ultrà progredi, nisi amotis hisce tanquam obicibus, possint; adversus eadem ira immanis ne excandescat; utpote qui meminerint, patientiâ leviora fieri mala, & occasionem prudenti vitam consilio regentibus raro defuisse, injurias illatas corrigendi, ac sæpius in propria commoda easdem convertendi.

Profectò, id verisimile est, quòd natura adultos nolit feliciter transire in sequentem ætatem, nisi fructibus, collectis per totum hoc ævi spatium, jamjam uti conentur; eáque omnia, quæ rerum usu addidicerunt, non modò verbis, sed & factis exequi. Etenim, quicquid pulchritudo ac robur largiri

giri adultis ſolent, id omne, annis ſequentibus, ex rerum utilium ſcientiâ, quæ ab experientiâ provenit, eâdémque certior evadit, expectare haud à ratione alienum videtur.

Quî, denique, fit, ut inſcitia, contemtum, aut ſaltem neglectum, ſenioribus devocans, graviùs interdum morbo eos deprimat; ſicut, è contrario, probè cognita & ſpectata in adverſis ſapientia animos addit erigítque eò uſque, ut, tanquam victoribus, de malis, etiamnum licèt obſidentibus, triumphari contingat.

FINIS.

BOOKS Printed for WILLIAM and JOHN INNYS.

Latin

Latin Copy, publiſhed by Mr. James Shipton: Containing his choice and ſelect Recipe's, their Names, Compoſitions, Preparations, Virtues, Uſes and Doſes, as they are applicable to the whole Practice of Phyſick and Chyrurgery. The Arcana Goddardiana, and their Recipe's interſpers'd in their proper Places, which are almoſt all wanting in the Latin Copy. Compleated with above ſix hundred Chymical Proceſſes ; and their Explications at large, various Obſervations thereon, and a Rationale upon each Proceſs. To which are added the fam'd Dr. Goddard's Drops, Ruſſel's Powder, Rabell's Styptick Powder, Tinctura de Sulphura Metallorum, and the Emplaſtrum Febrifugium. The fifth Edition. By William Salmon, M. D. 1720.

Medicinal Experiments ; or a Collection of choice and ſafe Remedies, for the moſt part ſimple and eaſily prepared : Very uſeful in Families, and fitted for the Service of Country People. By the Honourable Robert Boyle Eſq; late Fellow of the Royal Society, in three Parts, containing above five hundred choice Receipts. The ſixth Edition corrected, 12mo. 1718.

Proceſſus integri in morbis fere omnibus curandis : Nec non de Phthiſi tractatulus, Editio quarta à Thoma Sydenham, M. D. 12mo. 1712.

Leonardi Plukenetii, M. D. Opera omnia Botanica, in ſex Tomos Diviſa, viz. I, II, III. Phytographia. IV. Almageſtum Botanicum. V. Almageſti Botanici Mantiſſa. VI. Amaltheum Botanicum, in quibus, Stirpes illuſtriores, minus cognitæ ; Exoticæ, rarioreſque noviſſime detectæ ad plures Chiliadas deſcribuntur, tum Iconibus Tabulis Æneis CCCCLIV. Summa cura depictis figurantur.

Johan-

Johannis Caii Britanni de Ephemera Britannica Liber unus summâ curâ recognitus, 8vo. 1721.

Boerhaave's Aphorisms concerning the Knowledge and Cure of Diseases. Translated from the last Edition, printed in Latin at Leyden. With useful Observations and Explanations. By J. Delacoste, M. D. 8vo.

Praxis Medica Boerhaaveana: Being a compleat Body of Prescriptions, adapted to each Section of the Practical Aphorisms of Hermannus Boerhaave Professor of Physick at Leyden. Publish'd from the Author's original Manuscript. To which is annexed, Methodus Præscribendi Formulas, secundum Archibaldum Pitcairnum, 12mo.

Theatrum Tabidorum: Or the Nature and Cure of Consumptions, whether a Phthisick, an Atrophy, or an Hectick, with Preliminary Exercitations, by Chr. Bennet, M. D. & Col. Med. Soc. 8vo. 1720.

Phthisiologia: Or, a Treatise of Consumptions. Wherein the Difference, Nature, Cause, Signs, and Cure of all sorts of Consumptions are explain'd. Containing three Books. 1. Of original Consumptions from the whole Habit of the Body. 2. Of an original Consumption of the Lungs. 3. Of Symptomatical Consumptions, or such as are the effects of some other Distempers. Illustrated by particular Cases, and Observations added to every Book, with a compleat Table of the most remarkable Things. By Richard Morton, M. D. late Fellow of the College of Physicians. Translated from the Original. The Second Edition corrected, 8vo. 1720.

Tenta-

Tentamina Medico-Physica, ad quasdam Quæstiones quæ Oeconomiam Animalem spectant, accommodata. Quibus accessit Medicina Statica Britannica. Authore Jacobo Keil, M. D. 8vo. 1718.

De Curandis Febribus continuis Liber, in quatuor divisus Sectiones, quarum singulæ singulorum Morbi Temporum, quæ totidem quoque sunt numero Remedia continent. Authore Jodoco Lommio. 8vo. 1718.

De Morbis Acutis Infantum. Cui accessit Liber Observationes de Morbis aliquot gravioribus Medicas complectens. Authore Gualtero Harris, M. D. Celeberrimi Collegii Medicorum Londinensium Socio. Editio tertia auctior, 8vo. 1720.

Specimen Physico-Medicum, de Corpore Humano, & ejus Morbis: Or an Essay concerning the Knowledge and Cure of most Diseases afflicting Human Bodies. To which is annexed a short Account of Salivation and the Use of Mercury: With a copious Index. By P. Paxton, M. D. 8vo. 1711.

Emmenologia: In qua Fluxus Muliebris menstrui, Phænomena, Periodi, Vitia, cum medendi Methodo, ad Rationes Mechanicas exiguntur. Authore Joh. Freind, M. D. Coll. Lond. Med. & S. Reg. Soc. Edit. tertia, 8vo. 1720.

Hippocratis de Morbis Popularibus Liber primus & tertius. His accommodavit novem de Febribus Commentarios, Johannes Freind, M. D. &c. 4to. & 8vo. 1717.

Johannes Freind, M. D. de Purgantibus, in Secunda Variolarum confluentium Febre, adhibendis, Epistola, 4to. 1719.

Essays on several Parts of the Animal Oeconomy. By James Keil, M. D. The Second Edition, 8vo. 1717.